DE SERMONIS HUMANI ORIGINE ET NATURA M. TERENTIUS VARRO QUID SENSERIT,

DISQUISIVIT
ET
APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM
DISPUTAVIT,
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

V. HENRY,
Jam Doctor in Jure civili,
Bibliothecæ Insulensis Procurator.

INSULIS.
TYPIS L. DANEL.
M.DCCC.LXXXIII.

DE

SERMONIS HUMANI

ORIGINE ET NATURA

M. TERENTIUS VARRO

QUID SENSERIT,

DISQUISIVIT
ET
APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM
DISPUTAVIT,
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

V. HENRY,
Jam Doctor in Jure civili,
Bibliothecæ Insulensis Procurator.

INSULIS.
TYPIS L. DANEL.
M.DCCC.LXXXIII

ALMÆ

SOCIETATI SCIENTIARVM

INSVLENSI

CVIVS IMPENSIS

AMBO MEA OPVSCVLA

EDITA FVERVNT

GRATI ANIMI HOC PIGNVS

D. D. D.

V. H.

DE SERMONIS HUMANI ORIGINE ET NATURA M. TERENTIUS VARRO QUID SENSERIT.

Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites, tui, Varro, libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere.
(Cic., *Academ. II, 3*).

PROŒMIUM.

Quantum, in primordiis linguarum inquirendis, ab recentiore scientia distet vel eruditissima antiquitas, et jam satis compertum habemus, et forsan etiam ex hoc opusculo, si propositum nobis attingere dabitur, planius apparebit. Hoc certe summatim asserere licet, plerosque, quorum notitiam habemus, philosophos et philologos, de vocabulorum originibus permulta singulari studio, de origine vero totius sermonis fere nihil scripsisse. Magister omnium Plato vim verborum, et unde ducta sint, haud raro neque indiligenter perscrutatur; quæ autem de ea re, in *Cratylo* scilicet, aut passim alibi, exposita reperias, etymologiæ nomen tantum usurpant, nedum ad scientiam aliquam pertinere videantur. Multo altius Aristoteles provectus, tanquam et Logicæ et Rhetoricæ, ita et universæ

cujusdam Grammaticæ prima initia inchoavit; sed in illo, quem Περὶ Ἑρμηνείας scripsit, libello, nonnulla obscura sunt et abstrusiora, nimiæ brevitatis vitio, necnon opinione magis præsumpta quam recta observatione comprobata, cum scientiæ præsertim in experimentis positæ primus ille vindex non admodum firmiter et ab omni parte sibimet ipsi constiterit (1); ac ceterum, quantum a vera mentis humanæ cognitione Socratica dialectica, tantum a linguarum comparatione attentaque indagatione originum distat grammatica, vel in universum comprehensa. Lucretius, Epicuri doctrinam secutus (2), quomodo e voce animalium sermo humanus ortus sit, et comperit, et paucis, ut solitus, mirisque versibus, quos litteratus nemo non memoria tenuit (3), expressit : quippe cujus operi fusior descriptio non congruisset. Si tamen hunc unum excipias, philosophi plerique sermonem ab hominibus ipsis inventum esse et quasi fabricatum, atque ideo ex arbitrio humano prorsus pendere existimarunt, cum apud ceteros tanquam donum quoddam arcanum nobisque insitum haberetur, ita ut in istis duabus sententiis, quarum recentiore disciplina neutra probatur, fere tota versetur antiquitas. Utri autem maximus Latinorum grammaticus indulserit, an etiam, utramque deserens, aliquando verum, aut vero certe propiora assecutus sit, cum ab ipso discere non valeamus (nam de sermonis humani natura in universum nusquam disseruisse videtur), tamen ex ejus scriptis conjectare licet, quæ, quanquam ad latinam tantum linguam attinent, nihilominus, ut quæ non ad Aristophanis modo, sed etiam ad Cleanthis lucernam lucubrata (4), quid de universo ser-

(1) V. Chaignet, *La Philosophie de la Science du Langage*, Paris, Didier, 1875, pp. 303 sqq., quæque præsertim apud Aristotelem Steinthal vituperat, *eod. op.*, pp. 323 sqq.

(2) V. Diog. Laert., X, 75 sqq.

(3) V. *De Nat. Rer.*, V, 1027 sqq.

(4) *De ling. lat.* (edidit C. O. Muellerus, Lipsiæ MDCCCXXXIII), V, 9.

mone scriptor senserit, interdum ostendunt. Neque operæ indignum pretium visum est, illam veterem philosophiam, experientiæ prope expertem, cum nostra conferre, quae tot linguarum diligenti necnon comparativa cognitione innititur.

Porro, si quis inquirat, quomodo, quæcumque veteres ingeniose alucinati sint, nos penitus deseruerimus, et nostræ tam recenti scientiæ tam firmum substructum sit fundamentum, hoc in imo nostræ etymologiæ principio (quippe latiore sensu merito sic vocari debet ea scientia quæ sermonis ipsam essentiam altius penetrare aggreditur) positum inveniet, quo ratio discendi tota renovata est. Scimus enim, verba singula, et inde totum sermonem, tanquam vivum animal, ex humili primum semine nasci, tum gliscere et maturescere, et innumeram persæpe edere progeniem, tandem decrescere atque emori; humano demum sermoni vitam quamdam inesse intus reconditam, ita ut per se, nulla fere hominum ope adjuvante, vigeat et immutetur. Ab radice principium. Radices autem ipsæ, non unius voluntate, non expresso multorum consensu, sed naturali quadam et obscura accommodatione, propriam significationem sibi pepererunt. Conjectare licet, plurimas simul radices exortas esse quæ eamdem rem exprimerent (nam, ut rudissimus quisque sermo, ita ditissimus, et plerumque longe antea exstat signum quodvis, quam certam significationem adipiscatur [1]); concurrisse illas inter se; nonnullas, quæ menti paulatim informatæ impares jam viderentur, periisse, arbuscularum instar quas frondosa silva oppresserit; ceteras contra, incolumes et

(1) De philosophia XVIII[i] seculi egregius quidam philosophus nostri sic judicavit quod ad doctrinam veterum mire quoque aptum est: « Qui eos docuisset, in humana mente cognitionem rei significatæ notioni signi non præcurrisse, signum contra ab homine sponte creari haud admodum conscio rei in signo positæ, illum quomodo ii intelligere potuissent, qui rati erant, non aliter unquam mentem humanam quam secundum Condillaci præcepta in rerum cognitione processisse? » (E. Renan, *Et. d'Hist. relig.*, préface, pp. 11-12). Nos melius judicamus, qui signum ab re recte secernere didicimus;

vegetas, stirpem primum, deinde ramos, ramusculos surculosque produxisse, ita ut ab una radice sexcenta exorta vocabula numerare possimus. Sic, inter animalium genera, alterum sine posteris evanescit, alterum larga prole terram adimplet; sic humanarum gentium aliæ abolentur, aliæ sine modo pullulant. Verbis etiam dat natura aut vitam aut exitium : potentissimo cuivis tyranno, licet magnos movere exercitus altasque pyramidum moles exstruere valeat, ne unum quidem vocabulum aut creare aut delere fas erit.

Quidquid autem natura efficit, propriis certisque legibus regitur : quamobrem verba quoque statis ac compositis modis formari, immutari, deleri necesse est. Si verba consimilia in duobus congeneratis sermonibus conferas, vel in una lingua, aliquot seculorum adjecto intervallo, idem verbum consideres, id modice profecto, aut forsan valde mutatum reperies, nunquam tamen sine ordine et regula. Convertuntur litteræ ac transponuntur, cadunt quædam, irrepunt novæ, aliæ aliter enuntiantur : credas ibi fortuitam libidinem versari; stricta lex omnia ponderat : quam igitur oportet grammaticum, si compertam habeat, diligenter servare, si minus, attente disquirere, ne ad arbitrium ingenii sui magis quam ad normam veri opiniones suas componat. Haud secus atque plantarum vel siderum notitiæ, observatione præsertim huic disciplinæ opus est; parvi momenti aut ingenii celeritas aut etiam in rebus litterariis judicium vel acerrimum.

Sicut de singulis verbis, item de toto sermone : crescunt enim et senescunt linguæ, tanquam homines, et quem olim locum illa tenuit, nova hæc occupat, aut affinis priori, aut penitus dissimilis, prout fortuna statuit. Potest scilicet vetus sermo, quasi senio confectus, exacta ætate emori; unde novi gignuntur, quasi fratres germani paternam notam præ se gerentes. Potest etiam lingua quædam immatura morte proripi, cum duæ inter se concurrunt, altera rudior, altera præstantior, ac præcipue ubi gens quævis alienæ ditioni subigitur; nec raro fit, ut victi populi victor

exstet sermo. Quippe durat etiamnunc Latinus sermo, quanquam Romanum imperium Germanicæ tribus invaserunt: qui antea tot linguas mole sua obruerat, ut hodie Celtiberorum Celtarumque et Francorum, necnon Dacorum posteri latine loquantur. Quid multa? humillimæ cuique dialecto, perinde ac cultissimo et elegantissimo sermoni, vis quædam abdita inest, qua semet ipsam tutetur vicinasque inferiores superet.

Quomodo autem linguæ crescant et in melius augeantur, id ipsum nobis patuit, novaque contemplatione latius patebit. Radix primo et per se neque vocabulum neque verbum est: quæ tamen, nominis et verbi alternis vicibus fungens, ad omnes simul partes sermonis agendas idonea versatur, ut fit apud Sinenses, qui ex positione tantum et proloquii structura discernunt, quid singula vocabula significent. Mox uni radici, primas in oratione partes gerenti, aliæ accedunt vacuæ, quæ quasi alieni juris fiunt, propriam scilicet significationem amittentes, ac propterea omni sensu carent, nisi quod præcipuam radicem comitantur et finiunt. Quas, cum aut præfigantur aut suffigantur, et cum propria significatione accentum etiam plerumque amittant, et arctiore semper nexu cum radice plena jungantur, paulatim cum illa unum vocabulum efficere necesse est. Ejusmodi linguæ permultæ sunt, velut iberica et hungarica; nam pleræque ultimum et præstantissimum (ut quidem opinor, nam alii dissentiunt) gradum nondum attigerunt: quod contingit, ubi suffixa syllaba radici adeo vehementer hæret, ut vix inter se secerni queant, ac præsertim ubi syllaba, sive suffixa, sive etiam radicis, flecti, id est permutari, potest, variæque flexiones variam significationem induere; ut in Hebræorum Græcorumve sermone. Omnis igitur sermo a singulis nudisque syllabis orsus est; omnis, si nihil impedierit, usque ad flexionem syllabarum perventurus, tum rursus ad simpliciorem nudioremque, nempe analyticum, statum regressurus: sicuti glans parvula, procedentibus annis, ramosa

quercus fiet, cujus postea succo tabescente frondes decident. Naturali processu, sive velint, sive nolint homines, lingua in secula immutatur.

Hæc omnia cum certo sciamus, paulo ante ignota, nobis ad scientiam linguarum quam altissime provehendam, recta planaque admodum patet via, eadem scilicet quam in investiganda rerum natura nobilissimi viri secuti sunt, patiens et sagax observatio, qua radicum suffixarumque syllabarum, dein verborum totiusque sermonis similitudines ac differentiæ, non ex externis aliquot et fortuitis, sed ex intus susceptis propriisque notis corripiantur ac dijudicentur. Haud aliter enim animalium plantarumque genera recte secerni possunt; haud aliter linguarum formæ, quæ, tanquam plantæ et animalia, vivunt crescuntque. Vespertilionem non inter aves, etsi volat, balænam, etsi natat, non inter pisces, merito computant, qui ubera quam alas aut pinnas, in discernendis animalibus, majoris pendunt; pariter, in sermone quovis, quæ oculis imprimis occurrunt, persæpe vacua sunt et inania, quibus semel illusi longo labore errores inextricabiles perlustrare cogimur.

Sano igitur, ut ita dicam, κριτηρίῳ, in inquirenda sermonis essentia, cum aliquot grammatici etiamnunc indigent (nam in optimos libros nonnunquam irrepit præceps quædam et falsa etymologia), tum veteres omnino caruerunt. Sed eo dignius relatu videtur, quod eorum philosophia potuit, tam rudi grammaticæ innixa, assequi; eo majoris pretii quidquid veri effoderunt, falsarum opinionum acervos sæpe moventes : quod maxime refert, ubi de acutissimo simul et eruditissimo viro agitur, cujus scriptis Cicero ipse tam nobilem, posteris non infitiandam, laudem tribuit. Quapropter id profecto assentiri nequeo, quanquam ab eximio auctore probatum (1), *Saturas* nobis potius præservari debuisse, quam illud *De Lingua Latina* opus lucu-

(1) G. Boissier. *Et. sur la Vie et les Œuvr. de M. T. Varron*, Paris, Hachette, 1861, p. 138.

lentum : quod utinam incolume ad nos pervenerit ! nam, nisi tam multa desiderâre cogamur, nihil ferme nobis in illo non perspicuum sit : ac, licet *Saturæ* forsan aliaque opera aptiora fuerint ad delectationem, aut etiam arcana nonnulla publicæ privatæque Romanorum historiæ posterorum notitiæ tradere potuerint, gratulandum tamen nobismet ipsis est, quod, etsi truncum et informe, unicum fere illud exemplar grammaticæ veteris superstes remansit. Varronis igitur ingenium et de humano sermone opiniones altius penetrare contendam : non quod me, post tot tantosque interpretes, aliquid novi reperturum speraverim ; sed quædam forsitan, jam satis cognita, in nova luce posita, faciam ut clariora appareant. Quid ferre valeant humeri, versavi ; quid recusent, fateor : ignoscat benevolus judex.

CAPUT PRIMUM.

Vetus illa controversia, de analogia et anomalia, quomodo orta sit, quomodo enodanda.

Nobis, pristinam de sermone scientiam adituris, utile primum visum est recentissimam memorare, quo facilius, quam longe tuteque processerit, cernere possimus. Nunc autem regredi oportet, quæque nobis comperta sunt parumper oblivisci. Qui enim diutinam illam, famosam ac prope inanem veterum de analogia et anomalia controversiam intelligere cupit, huic evocandi sunt, quales fuerunt, formas scilicet tam varias et, specie saltem, enormes, quas præbebat græca latinave grammatica, inspicientes, perinde atque pueri qui easdem etiamnunc discunt; quippe quibus omnino deesset ratio docendi comparativa, qua nos omnia ad normam reducimus, aut similitudines tantum quasi bracteatæ aut ficticiæ apparerent, quales in opusculo Macrobii ubique invenias (1). Aliis illudebat, quod multa verba eodem modo in casus, numeros, tempora, personas flectebantur, ita ut, cui perpauca innotuerint exemplaria, tota jam grammatica pateat : hi igitur nihil in oratione nisi ἀναλογίαν vel similitudinem cernebant, quidquid enorme videretur, aut consuetudine quadam prava, aut vulgi inconsiderata libidine perversum fuisse, rati; nec multum

(1) *De Differentiis et Societatibus Græci Latinique Verbi.*

aberat, quin totum sermonem ab integro reficiendum arbitrarentur, formas rebelles rigidæ immotæque legi subigendas, omnia denique corrigenda quæ detorta existimarent. Alii, contra, quibus regulæ confusæ, flexiones diversæ, vocabula singularia in conspectu erant, ac ceterum inenodabile videbatur, cur altera potius quam altera syllaba vel adjecta vel mutata mutatam significationem efficeret, adversus analogiam quam plurima gravissimaque argumenta coacervabant, quæ Varro ipse partim probavit, aut certe nobis sedulo tradidit : unde sequebatur, consuetudine tantum linguas creari atque informari, inane ac prope ridiculum aggredi propositum grammaticos qui formam quamlibet ad normam alius cujusvis formæ traducere velint, cuique demum sequendum esse in loquendo usum vulgarem; nedum fugacissimo omnium principio, nempe humanæ libidini, nullo freno cohibitæ, irritæ leges imponerentur.

Nisi, quidquid ipsi de sermonis humani origine naturalique incremento sentimus, penitus amovemus, videtur nobis tota controversia inanis, puerisque et illitteratis dignior quam eruditis. Si quis vero meminerit, eam, quam vocamus, spontaneam evolutionem plerosque veterum adeo fefellisse, ut quidquid in civitatibus suis aut condendis aut renovandis memorabile acciderit sub auspiciis viri cujusdam fabulosi contigisse finxerint, qua sub luce quæstio inspicienda sit rectius intelliget. Nam, ubi primum sermo humanus tanquam aliquod facticium habebitur et adventicium, veluti instrumentum quoddam aut simulacrum, hanc necesse erit oriri controversiam, fortuitone, an prudenter homines in sermone condendo processerint; ac rursus, si eum in omnibus partibus, qualis nunc est, ab initio natura nobis suppeditatum existimes, statim inquirendum est, quomodo ibi tam incerta et insolenti libidine, alias tam bene composita, natura operata fuerit. Finge ædes sive indocta sive perita manu exstructas : ab his congruentia, ab illis contra discrepantia in lucem ponuntur : hi vero colligendo

judicant, domum primo conatu sine mendo perfectam, annis tantum quassatam, secundum artem reparandam esse: illi, domum semper mediocrem fuisse, habitabilem tamen, et qualis sit, cum omni necessitati abunde suppeditet, servandam, ne quid pejus accidat.

Quamobrem etiam verba quibus in hac scientia utuntur veteres philosophi, velut in multis aliis quæstionibus, nobis tam confusa videntur atque adeo a nostris differunt, ut vix intelligi possint. Nos, de analogia loquentes, perturbatam quodam modo et perversam linguam intelligimus, formam videlicet enormem ad exemplar alicujus formæ normalis, ficticiæ similitudinis gratia, confectam, veluti ubi, pro * *ferentum*, *ferentium*, ad instar *gentium*, Latini dixerunt; ii contra omnino servatam analogiam pro absoluta norma habebant, qui mentem humanam duobus vel pluribus variis modis, aut rem eamdem, aut eamdem rerum rationem exprimere posse non suspicabantur. Nos, cum sermonem natura exstitisse dicimus, hoc modo, Epicuri instar et Lucretii, significamus, orationem, ut signa quælibet, ab imitandi potestate, cuique animalium ingenita, incepisse, paulatim vero, puriorem factam et maturiorem, nunc in elimata cultorum hominum loquela vix aliquot vestigia ostendere, aut belluini clamoris, aut rudis sonorum imitationis: at plerique veteres naturam ab homine plane secernebant, quasi numen benignum aut educatorem quemdam divinum, qui ab initio signum par rei significatæ creaverit hominemque sermone perfecto et absoluto instruxerit, postea tantum degenere. Sic, priore adhuc seculo, illustris censuit philosophus, omnia natura bona, hominis vero pravitate perversa fuisse. Illa denique duo vocabula, ἀναλογία, φύσις, quæ nobis inter se pugnare videntur, cum altero designetur mentis opus sui consciæ, altero innatæ cujusdam ἐνεργείας naturalis usus et incrementum, olim fere in unum et idem concurrebant [1]. Inde puerilia sæpe et admodum ridicula,

(1) L. Lersch. *Die Sprachphilosophie der Alten*, Bonn, 1838. p. 4 sq.

vel pro, vel contra analogiam, argumenta deducebantur, quale est « si natura hominibus sermonem præstitisset, cunctis in orbe terrarum idem foret sermo », quod cum fabula arcte connexum est quæ narratur de infantibus in caverna occlusis, necnon, postquam adoleverant, panem Phrygiorum loquela petentibus; aut etiam « si sermo natura datum esset neque duo signa ad unam rem designandam, neque unum ad duas vel plures idoneum videretur, quod contra naturam rerum est »; aut contra : « si voluntate tantum hominum sermo exstaret, nulla ibi lex aut regula reperiretur, cum tamen videamus aliter atque usu linguas edisci posse, nempe statis præceptis, quæ arbitrio vulgaris consuetudinis repugnant »; aliaque ejusmodi, quæ nostra sententia sensu carent, quæ vero veteres magni pendebant.

Si duas, quo plenius dicam, controversias inter se conferre ausim, primo quidem conspectu parum similes, menti occurrit quidquid de divina providentia scholæ philosophorum edisseruerunt, cum aliæ naturæ mirum ordinem sapientesque et immotas leges obtenderent, aliæ contra bella. terræ motus, incendia, pestes, quæque in vita hominum accidere solent calamitates. Hinc Luciani aut Voltarii sales facetissimi, illinc Ciceronis et Bossuetii pectus grandiloquum : potuit quidem argumentatio magnam bene dicendi materiam præbere; quam parum autem rectæ cognitioni naturæ profuerit, sat compertum habemus. Verum, jam in antiquitate, exstiterunt homines qui sic judicaverunt : « Revera nihil per se aut bonum aut malum est; quippe, quem ad finem omnia creata sint, nefas nobis investigare. Sed quidquid vivit ad tuendam vitam cum ceteris viventibus perpetuum certamen inire cogitur : aut vincit aut vincitur, prout natura vires suppeditavit; obest alteri quod alteri prodest. Sic naturali processu omnia fiunt, quo actio divina profecto non tollitur, sed contrahitur in subliminiora. Natura igitur non laudanda, non culpanda : quomodo id aut laudandum aut culpandum sit, quod omnino non est? » Illa, ni fallor, argumenta, in nostro seculo ab integro

producta et certiore rerum omnium notione fulta, totam scientiam et philosophiam renovatura sunt, quæ veteres propemodum non suspicabantur. Numini cuiquam ne tribuamus quod cæco viventium impetu efficitur.

Item profecto de sermone, qui per se neque bonus neque malus est, aut, ut solita verba usurpem, neque ἀνάλογος neque ἀνώμαλος. EST sermo, illud scimus; quomodo sit, ignoramus; hoc tamen asserere licet, eum, neque juxta legem quamdam et artificiosum propositum, nec sine lege fortuita libidine fabricatum esse. Quantum in remotis seculis conjectura assequi valemus, tot sane exstabant sermones, quot tribus aut familiæ; qui paulatim, seu bello sive hominum commercio invicem oppositi, imminui cœperunt, cum alii alios superarent (1). Item, in singulis linguis, erat ab initio radicum, verborum formarumque numerus infinitus, quæ, velut in arbore patula frondes supervacaneæ, sponte deciderunt; nam formæ incommodæ vel obscuræ nimisve implicatæ sponte evanescunt, ita ut paulatim barbararum linguarum sterili abundantiæ clarior et jejunior cultarum subdatur elegantia. Itaque, quidquid in sermone bene compositi aut inordinati cernimus, pariter in natura est, neque aliter controversiæ de analogia enodantur.

Quod attinet ad eam, quam vocant, πολυωνυμίαν aut συνωνυμίαν, in hoc præcipue apparet error veterum, quippe qui res signaque in abstracto considerarent; nam ibi plurima exempla, undique allata, in promptu sunt. Neminem fugit, persæpe in barbaris linguis nulla vocabula esse ad designanda quæ nobis contra simplicissima videantur, notiones vero concretas atque implicatissimas uno sæpe vocabulo exprimi: sic Groenlandici nullum verbum possidere feruntur, quod generaliter « ire » significet, verbis autem penitus diversis « ire pedes, eques, lintre, traha » etc., dicere; sic in eusca-

(1) Vid. A. Schleicher, *Compend. der vergleich. Grammatik der Indogerman. Spr.*, 4. Aufl., Weimar, 1876, pp. 2 sqq.

rico sermone, sex varia vocabula inveniuntur, quibus lascivire canem, equam, porcam, capram, ovem, vaccam exprimant, nullum quod cujuscumque animalis feminam comprehendere possit (1). Rudissimi homines Australienses non arborem in genere nominant, ne speciem quidem quamdam arborum noverunt, sed unam tantum atque unam, in individuo, arborem, in suis finibus sitam. Ejusmodi sunt humani sermonis inchoata initia. Tanquam, exoriente scriptura, informibus lineis res primum pingitur, tum in mentem venit, non res, sed sonos pingendos esse, quo fit scriptura syllabica, jam multo commodior, deinde syllaba ipsa in primaria elementa, nempe vocem et consonam, dissecatur, ita ut XXV signis nos multo plura exprimamus, quam L signorum millibus Sinenses; ita homines, quo acrior fit eorum mens, secernendo semper et abstrahendo quæ sentiant, eo magis idonea vocabula sibi parare solent. In motu scilicet lintris, quem antea uno verbo designaverunt, mox motum ipsum et motionis modum distinguunt et utrique signum aliquod imponunt; cum vero ea signa non aliunde expromere queant, quam ex communi proventu vocabulorum jam exstante, inde fit ut plura verba in eamdem significationem convenerint, aut unum contra plures sensus induere coactum fuerit. Quod si in verbis evenit, multo magis etiam in suffixis syllabis, quæ in principio tam multæ fere fuerunt quam humano gutture syllabæ edi possunt, imminui tamen debuerunt et ad numerum reduci vix paulo ampliorem, quam quod ad explicandas verborum rationes grammatica poscit. Inde, quantum naturalis sermo, licet ad certam normam evolvatur, a doctorum facticio sermone differat, qualis sit aut chymica nomenclatura aut notatio algebrica, facile percipimus.

Id nos cultissimæ linguæ, modo eas ab ortu persequamur, id barbaræ docent: has vero veteres non discebant, illas non

(1) Cf. A. Hovelacque, *La Linguistique*, 2e éd. (Paris, Reinwald, 1877), p. 163.

amplius quam ab aliquot seculis repetebant : unum tantum temporis momentum complectentes opus perpetuum judicabant. Sermonem quamvis annosum ad normam mentis suæ referre contendebant, nedum in sermone fidelem antiquorum hominum mentis imaginem perciperent. In originibus verborum indagandis præsertim, quo errore laborent, demonstrant, nempe cum « parcus » idem esse quod « par arcæ » (quod valde Gellius irridet [1]), « frater » et « soror » idem quod « fere alter » et « seorsum nata » [2], « vidua » idem quod « valde idua » [3], esse existimant. Hæc, ut quidem ego sentio, non mera ludibria ingenii fuerunt [4]; quæ apud scriptores summa gravitate solent aut proferri aut confutari; ex his contra maxime constat apud eos scientia linguarum. quippe qui vocabula sermonis vulgaris, tanquam grammatici sedula opera, consulto conficta crederent.

Ratio quidem investigandi historica Varroni non adeo defuit, etsi nonnunquam perperam directa; nam antiquitatem Græcam et Latinam nemo Romanorum altius perscrutatus est. Latinum sermonem ab Æolico processisse putabat [5] : quod proximum veri est. Idem cum Latinis verbis antiqua quædam et obsoleta Græca (meritone, an immerito, ambigitur) contulit [6]; imo, quod ad unum saltem attinet, recte censuisse videtur [7]. Sic sæpe nonnihil veri delibat, quanquam falsis opinionibus obscuratum. Exoleta ista de analogia controversia in Varronis scriptis, haud secus atque apud ceteros grammaticos, profusa argumentorum copia

(1) Gell., *Noct. att.* III, 19.

(2) Ibid., XIII, 11, ex Pub. Nigidio expromptum.

(3) Macrob., *Saturnal.*, I, 15.

(4) Contra : G. Boissier, *op. cit.*, p. 152.

(5) G. Boissier, *op. cit.*, p 132.

(6) Gell., *Noct. att.*, I, 18.

(7) Γραικοί sive Γραῖκοι. Cf. Hesiod. Ἠοῖαι, frg. 20; Aristot. *Meteor.*, I, XIV, § 22; *Fragm. Hist. Græc.* (Didot), I, p. 542, l. 11 (*Marmor Parium*), et p. 559, col. 1, in fine; E. Curtius, *Hist. Grecque* (trad. Bouché-Leclercq), I, p. 120; etc.

definitur; quam inanis ea sit, profecto non intellexit; hoc tamen vidit, inter multos errores, sermonem neque omnino ἀνάλογον neque omnino ἀνώμαλον haberi posse, et, hoc viso, ad quædam adductus fuit philologiæ vel recentissimæ haud improbanda. Quod ad ostendendum pergamus.

CAPUT SECUNDUM.

Materiem suam Varro quomodo disposuerit.

Et primum de ordine a Varrone servato breviter agendum est : qui, quanquam sane noster eloquentiæ non studuit, oratorem forsan magis decet quam eruditum. Non nos modo sic judicamus, rationi docendi quam exactissimæ in naturalibus quæstionibus assueti, sed ipsos veteres litteratos manca dispositio fefellit : nam Gellius, homo ingenii certe levissimi, sed tamen acuti, quidquid vel pro analogia vel contra scripserit Varro, nihil, nisi locos communes, esse putavit (1). Nemo, nisi forte concinnus rhetor, virum illum eruditissimum mero ratiocinandi amore tantam induxisse controversiam, credere potuerit; Gellium tamen quodam modo non admodum male judicasse, nobis non diffitendum. Causam agere Varro videtur potius quam aliquid de eruditione persequi : scilicet, quod non raro etiam apud æquales ejus evenit, quos quotidianus usus fori litibus componendis assuefecerat, scholasticam controversiam, quasi foret forensis disputatio, disponit. Actor hic est, qui contra analogiam dicit, et prius quidem contra universam analogiam, posterius contra analogiam in singulis partibus orationis,

(1) Gell., *Noct. Att.*, II, 25.

magna vi copiaque [1]; nec prius, quam actor omnia sua argumenta explicuerit, surgit reus, qui defensionem init eodem fere ordine, quo accusatio, divisam [2]. Ubi contra disputant scholastici, nullum sine responso argumentum stare sinunt, seseque invicem urgent, quasi cominus pugnantes. Item, apud nos, si quid magister elucubrare velit, quid sentiat ipse primum edere omnesque ad id probationes quæ in promptu sunt afferre solet, deinde quæ contra dici possunt singula dissolvere. Apud Varronem duos litigantes aspicis, ita ut jam pro jam contra analogiam agere ipse videatur; revera, quid sentiat, silet, quod interdum tantum ex lite licet suspicari, et exspectat donec causidici totam rem peregerint, judex postremo pronuntiaturus.

Ergo, re peracta, judicium editur [3], quod ex duabus præcipue sententiis constare videtur, nempe : « Analogia est verborum similium declinatio similis » et « Analogia est verborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi [4]. » Hic tamen in lubrico versamur : præter id enim quod in hoc loco permulta desiderantur, ita ut per se vix intelligi possit, scitum etiam est, vel in opere integro, judicem, perinde atque ipse judex Romanus in foro, omnes sententiæ suæ rationes non attulisse, quæ igitur in utraque litigantium disceptatione disquirendæ sunt : quippe qui non fortuito huic aut illi annuerit, sed ex certis statisque causis et attenta argumentorum selectione. Ab initio denique usque ad finem, manet controversia forensi disputationi persimilis; tertia vero pars, quæ judicium continet, nobis, cum in scientia exactius aliquid desideremus, tenui tantum laxoque filo prioribus

(1) B., p. 109 sq.; M., VIII, 25 sq.; N., p. 544 sq. — Litteris B., M. et N., tres singillatim designantur Varronis editiones, quas nobis conferre datum est, Bipontina scilicet, et Muelleriana, et Nisardiana (Bip. MDCCLXXXVIII.—Lips. MDCCCXXXIII — Paris. MDCCCXLV).

(2) B., p. 128 sq.; M., IX, 7 sq.; N., p. 554 sq.

(3) B., p. 159 sq.; M., X; N., p. 572 sq.

(4) B., p. 179; M., X, 74; N., X, 74.

adhærere videtur, quod arctius adstringi oportet, ut connexio manifesta fiat.

Haud aliter, ni fallor, quæ de Varronis opere optimi judices contraria censuerunt, solvi queunt et conciliari: nam, ubi ille ordinem mire servatum laudat (1), hic divisiones multiplices et fastidiosas, quibus mens lassatur, nedum materia clarior fiat, haud immerito reprehendit (2). Nam plerisque antiquis scriptoribus dispositione quidem materiæ præstat, ac præsertim divisiones multo magis conspicuæ apud eum sunt, quam apud Platonem aut Ciceronem, quibus ars maxima divisionem dissimulare videtur. Quædam autem perperam disposita esse argumenta, ipse Lerschius non infitiatur; cum enim, quanquam modo scribendi nihil oratorii, operi toti ordo saltem oratorius insit, id animadvertendum, ne vehementius culpemus illos, qui in jure oratoris solent esse, excursus. Nos controversiam de naturali qualibet quæstione tanquam litigationem pertrectare, et nequimus et nolumus, veteres non dubitabant. Quapropter, quæ peccavit Varro, Romanorum consuetudini culpæ vertantur, non ipsi: nos, quæ ipse de analogia censuerit et usu, in meliorem ordinem transversa nostræque ediscendi viæ accommodata, perlustremus.

(1) Lersch, *op. cit.*, p. 117.

(2) G. Boissier, *op. cit.*, p. 137

CAPUT TERTIUM.

De analogia et consuetudine in universum.

Similitudo verborum sive analogia est in verbis idem quod in ætate puer ad senem, puella ad anum [1] : quod non ita intelligendum est, ut Varro, tanquam nos facimus, verborum mutationem cum naturali corporis humani incremento conferat ; sic autem transferendum : puerum scilicet insenescendo fieri senem, puellamque anum, neque unquam in oratione puellam seni opponi nec puerum anui, ac nihilo secus *scribo scribam* invicem opponi, et *amo amabo*, neque **scribabo* neque **amam* unquam recte dici posse ; hoc igitur analogiæ proprium esse, ut similes formæ in similibus verbis sibi invicem respondeant insitque sermoni proportio constans. Quamobrem analogia dici potest verborum similium declinatio similis [2], quam sequendam alii contendunt, alii contra negant. Hi vero aliam orationi legem imponunt : quæ est consuetudo communis vel συνήθεια : quippe, cum sint plurimi hominum rudes et illitterati et alioquin iis magis varietas quam similitudo semper placuerit, penes arbitrium suum sermonem inflexerunt. Ubi sermonem confecerunt, is ut secundum artem quamdam exstructus foret, profecto non curavere, sed quo facilius intelligeretur ; ac

(1) B., p. 110 ; M., VIII, 25 ; N., VIII, 25.

(2) B., p. 109 ; M., VIII, 22-24 ; N., VIII, 22-24.

rursus, qui ab illis vult intelligi, loqui debet quemadmodum plerique loquuntur, neque similitudines inducere de quibus ne semel quidem cogitaverunt, quæque sensibus animi efferendis manifeste obsunt, nedum prosint.

Sic grammatici contendunt; nunc, quid in sermone ἀναλογίᾳ, quid συνηθείᾳ tribuendum Varro censuerit, si retegere possimus, experiamur.

§ I. — Aliquam in verbis similitudinem esse debere.

Recte intuenti similitudo aliqua non infitianda. Quid enim in rerum natura fortuiti datur? quid enorme? quis autem, humanum sermonem in natura rerum esse, non agnoscat? Nonne mens nostra in octonas partes distributa est (quam doctrinam Varro profecto a Stoicis acceperat), quarum octava est qua mittere voces docemur, nequaquam a sensibus aut genitali facultate absimilis? Ergo, si natura statis legibus obtemperat, ac præsertim si animalium genera non fortuito nascuntur. sed semper ab equo equus, ab asino asinus, ab utroque mulus originem duxit, necesse est facultatem loquendi. haud secus naturalem, non penes libidinem hominum versari, sed statis quibusdam parere legibus, quas vel ad ferendas vel ad tollendas consuetudo communis impotens habeatur (1).

In limine igitur litis principium nobis manifestatur alte cogitatum, quod, quanquam Varro non in omni parte secutus est. ante oculos tamen habuit, nempe sermonis cum ceteris quæcumque in natura sunt collatio, qua arbitrium inordinatæ libidinis. in rebus quæ ad sermonem attinent, penitus amovetur. Ceterum, in quot partes mens humana distributa sit. aut quibus etiam abstrusis notionibus primordia illa obscurentur et implicentur, parum refert : id tantum interest, eadem Varronem in principio posuisse,

(1) B., p. 131-133; M., IX, 23-30; N., p. 556-557.

quæ Lucretius versibus expressit. Sic etiam mirus nostras philologus : « Sermonem humanum humanæ mentis facultates, sponte simulque agentes, produxerunt. Insita est homini quædam animi sui signis communicandi necessitas : quæque sensit, aut intrinsecus aut extrinsecus significat. Quod autem eloquium ad id adhibet, ne hoc quidem ex arbitrio ejus pendet. Non enim consulto vel commoditatis gratia, non mera animalium imitatione, homo loquelam elegit ut mentem suam efferre et communicare posset, sed quia loquelam natura eum docuit, neque id tantum docuit, quemadmodum gutture emittatur, sed etiam *quid valeat ad significandum*. Quippe, cum animali clamorem natura præbitum nemo non agnoscat, quin idem de loquela in homine concedatur? cur ad exemplum alterius alteram confictam esse existimes? Stultus mehercule merito habeatur, qui naturalem usum oculi vel auris a quolibet inventum esse prædicet, cum omni tempore homines oculis ad videndum, ad audiendum auribus usi sint; nec multo minus, qui usum sermonis inventum esse arbitretur.... Eloquium igitur haud magis excogitatum est, quam usus membrorum experiendo repertus (1). Duæ loquelæ non sunt, una naturalis, altera facticia; sed natura nobis, cum finem ostendit, tum vias pandit, quibus finem assequamur.... (2) »

Finge nunc Varronem sibi usque convenisse : si ea, quæ de ortu sermonis recte sensisse videtur, in mutationes ejus et incrementum attente transtulerit, cum eo vera philologia, scientia observatione naturæ fulta, forsitan orta sit : sane non permultis ornata documentis quæ hodie possidemus : sed fere eadem discendi ratione, qua nos utimur, instructa. Quæ laus tamen Varroni soli non tribuenda est :

(1) Huic opinioni contradicturi sint, qui animalia lenta evolutione transformari putant; nam, si iis credas, manibus non semper ad prehendendum usos homines dicas; sed in ista remotissima arcanaque tempora problema sermonis traducere, quis temere nimis audeat ?

(2) E. Renan. *De l'Orig. du Lang.*, 4e éd., Paris (Lévy) 1864, p. 89 sq.

non enim hoc proprium ei est, quod sermonem naturalem esse intellexit, nam Epicurus jam ita censuerat, neque quod analogiam defendit, quam antea multi defenderant, sed quod ambas potius notiones contexuit et invicem confirmavit. Nam videntur philosophi, præter Stoicos, principium tantum posuisse, non, quæ inde sequebantur, in singulis partibus orationis insecuti; et contra, grammatici qui pro analogia dixerunt, multis passim in sermone decerptis exemplis pugnavisse, universi vero sermonis naturam minime complexi esse. Quapropter merito Varro philosophi simul et grammatici laudem sibi vindicavit : hoc enim posito, sermonis principium natura dari, ut denique scias quid in sermone æquale, quid inæquale sit, nihil jam quærendum, nisi, quæ partes orationis natura suppeditentur, quæ voluntate hominum fiant; quam quæstionem, nisi documentis ad id aptis antiquitas indiguisset, Varro profecto solvisset. Jam vero, ut supra dixi, bene meruit, quod recta investigatione coactus est agnoscere, cum in sermone quid naturale sit, quid voluntarium quæreret, totam neque in analogia neque in anomalia solutionem versari.

§ II. — De declinatione verborum, tam necessaria quam voluntaria.

Quod natura datur, necessarium est et sibi usque constat; quod arbitrio humano subjicitur, fortuito semper fluctuat.

Verba autem, ait Varro, nihil necessarii in se habent, cum de iisdem rebus alia nomina habere soleant Græci, alia Syri, alia Latini (1) : verba igitur homines, ad suam quisque voluntatem, effingunt. Nec secus de derivatis atque de nativis; quippe ab *ovibus ovile*, non tamen a *bovibus *bovile*, a *Roma Romani*, non a *Parma *Parmani*, verum *Parmenses*, ab *Asia Asiatici*, sed non a *Libya *Libyatici*, dicti sunt (2) : quare in hoc quoque nihil, nisi

(1) B., p. 134 ; M. et N., IX, 34.

(2) B., p. 117 ; M. et N., VIII, 53-56

consuetudo communis, servandum videtur. Non item vero ubi de inclinandis verbis, aut in casus, aut in tempora agitur, quæ variationes certis semper et arctis finibus continentur, ut nempe *Romulus* ceteraque similia, *Romuli*, *Romulo*, *Romulum*, et *dico*, *dicebam*, *dixi*, *dixeram*, *dicam*, efficere tantum possunt [1]. Ideo imponuntur vocabula rebus consuetudine vel voluntate hominum; semel vero imposita ad normam strictæ cujusdam analogiæ natura flectuntur.

Varronem ibi specie decipi manifestum est. Id præsertim fastidimus, quod paulo ante posita præcepta deserit, jamque, vix incepto itinere, errat. Hinc sermo natura datur; illinc autem, primordia sermonis, nativa vocabula, radices omnis linguæ, repertas esse asserit humanoque arbitrio subditas. Mirum est si flexiones et inclinationes necessariæ sunt, cum sit voluntarium quod iis substratum est et sine quo ipsæ esse non possint: illa tamen oppositio quomodo conciliari debeat, infra videbimus. Alias vero, quod arcanam signi reique significatæ congruentiam non intellexit, Varro non vehementius culpandus; quam inter recentiores multi, etiam post novissimas de expressione indagationes [2], non accipiunt. Sic apud scriptorem profecto haud ignobilem, nuper ad academicam dignitatem provectum, dictum reperies: « nullum signum natura dari; cuique populo, cuique genti sua signa esse; nos scilicet, aliquid negantes, caput quassare, Arabes abnuere [3]. » Esto sane; nam, aut caput quassando, aut abnuendo, idem significamus, nempe nos alimentum ori oblatum repellere, quod inde ad generalem negationem traductum est: prodeat gens quædam quæ annuendo neget, tum gestum ex mero consensu ortum esse concedetur. Haud aliter de primordiis sermonis, quorum cum re significata congruentia certe nunquam tam mani-

(1) B., p 133 et 135; M. et N., IX, 32 et 34.

(2) Darwin, *De l'Express. d. Emot. ch. l'Hom. et les Anim.*, trad. Pozzi et Benoit. Paris, Reinwald, 1874.

(3) Max. du Camp, *Rev. des D.Mond.* 2e période, t. 104, p. 558, i. n.

feste patebit, necessaria tamen est, cum in natura nihil fortuiti accidere soleat.

At enim, si vocabula natura præberet, omnia in omnibus linguis forent eadem. — Varronem tam vehementer alucinatum esse, non possumus non mirari, si modo, quod ambigi potest, illa, quæ prorsus contra analogiam dicta videntur, assensus est; quæ tamen non confutavit. Aliud esse ἐνέργειαν, aliud τὸ ἔργον, non vidit? Balbus est infans, diuque balbutit, donec claras voces expromere discat. Omnes præterea gentes, si recte judices, quodam modo balbæ sunt, cum una vel altera quosdam sonos emittere omnino nequeat, quod præsertim in linguis Polynesiæ apparet; nam consonis adeo carent, ut nonnulli indigenæ [1] litteram *r*, vel *t*, vel *p* prorsus edere non valeant: eadem omnibus facultas, non idem instrumentum est. Porro non similis omnibus auditus: naturæ strepitus alius aliter audit ac reddit: inde fit ut in ὀνοματοποιΐᾳ homines aut tonitru aut grandinem aut quodvis aliud diversissimis vocibus imitentur. Quanto magis ubi non de sonitu quodam imitando, sed de re significanda aut sensu quodam exprimendo agitur; nam, quæ in oculis et auribus, eadem versatur in mentibus hominum diversitas. Quæ omnia Varronem præteriisse videntur.

In derivatis minus temere opinatus est; constat enim ex similibus vocabulis, cum simili sensu, dissimilia vocabula orta esse: unde patet, multum in hoc consuetudini permissum. Recte tamen intuenti certum fit, arctis finibus cohiberi artem derivandi et inter perpaucos modos inclinandi delectum patere. Quippe Romæ incolæ, verbi gratia, ab *Roma Romani*, aut etiam **Romenses*, aut **Romici*, aut forte **Romatici*, sed neque **Romarii* aut **Romosi* aut **Romuli*, quanquam hæ quoque suffixæ in sermone Latino exstant syllabæ, dici poterant. Quæ vocabula, si exsisterent, procul dubio longe aliud atque incolas Romæ significarent. Quid inde? nonne et vocabulis formandis quædam norma

(1) In insula Hawaii pro angl. *steel* (chalybs) dicitur *kila*.

inest, quam consuetudo vulgaris non transgreditur? quanquam plurimæ sunt in sermone syllabæ quibus suffixis derivantur, atque ideo consuetudo communis potuit jam unam jam alteram deligere, salva tamen cujusque functione, sive quod melius sonabat, aut minus ambigebatur, sive alia quadam causa, quam nos æquo animo nescire cogimur. Hoc igitur Varro dicere debuit : inclinationem qua derivantur vocabula non minus necessariam esse quam ea qua flectuntur in casus et tempora ; sed, inter aliquot modos necessarios, permissam esse humanæ voluntati quamdam optionem, arcte definitam, qua fit ut quidam consuetudine sanciantur, alii contra, aut nunquam exstiterint, aut in desuetudinem abierint.

Ceterum nonne idem accidit et in inclinatione per casus ac tempora ubi quædam manifeste voluntaria sunt, licet sine dubio pauciora quam in derivatis? Nam, ne extra Latinam linguam exempla persequamur, nonne ex *familia* scilicet pariter *familiæ* et *familias* in genitivo singulari, ex *filia* simul in dativo plurali *filiis* et *filiabus*, a *pango* vero in perfecto tempore *pepigi* simul et *panxi*, a *lego* et *perlego* et *intellego*, *legi* et *perlegi*, verum *intellexi*, deflexa sunt? Num hæc Varronem fugere potuerunt? Liquet ibi quoque formas diversas ab initio naturam præstitisse (quarum origo recentiori nostræ philologiæ paulatim innotuit), quæ aut inter se concurrerunt, aut aliæ aliis cesserunt, prout una vel altera menti aperiendæ aptior visa est. Ejusmodi exempla frequentissima sunt, satisque nota, alioquin ab iis grammaticis, qui ἀνωμαλητικοὶ nuncupantur, seduliore cura collecta, quam ut plura ibi repetere opus sit; occurrent præterea quædam in cetero opusculo. Unum tantum perspicuum est, non omnia in exceptionibus, quibus alludit Varro (1), numerari posse; aut alioquin, quot normales formæ, tot enormes forent, et fatendum esset, etiam in vocabulis inclinandis, anomalia analogiam adæquari. Quid inde sequitur

(1) B., p. 134 ; M. et N., IX, 33.

apud recentes philologos? non, in sermone, quasi duas regiones omnino secretas distingui debere, quarum alteri necessitas, alteri voluntas humana præsit; sed, inter signa rationum verborum necessaria, cum unam rationem aliquando plura signa exprimere valeant, aut plures rationes fere consimiles uno signo efferri, hactenus tantum egisse consuetudinem, ut inter paucas datas inclinationum syllabas modo hanc modo illam deligeret; itaque plerasque dissimilitudines, non minus quam ipsæ analogiæ, in natura sermonis versari, nec summatim derivari vocabula inæqualiore modo quam quo inflectuntur.

Errat igitur Varro, ubi verborum derivationem et inclinationem prorsus distinguit; nam utrique inest aliquid necessarii et aliquid voluntarii; priorem tamen posteriore magis voluntati permittere haud dubium est. Recte observavit Varro, si perperam collegit. Quid inde sequatur nunc videndum est.

§ III. — Quæ verba inter se similia sint, quæ dissimilia.

Cum sit analogia verborum similium declinatio similis, id primum inquirendum, quomodo inter verba similitudo agnoscatur. Magnopere enim errabit, qui verbum quodvis ad normam cujusvis alius, natura et origine dissimilis, inclinare contendet, nec parvum jam detrimentum analogiæ attulerunt istiusmodi tentamina, veluti si indeclinabile cum declinabili conferas, aut cum nomine verbum, aut duo certe vel nomina vel verba inter se discrepantia, qualia sunt *vulgus* et *nemus*, aut *volo*, a *velle*, et *volo*, a *volare* (1).

Ne quis autem vocabula inter se quoad significationem conferat, imprimis monendus; nam, « si id quod significatur debet esse simile, *Diona* et *Theona*.... invenientur esse dissimiles, si alter erit puer, alter senex, aut unus albus, alter æthiops (2). » Puerile illud argumentum com-

(1) B., p. 161 sq.; M. et N., X, 7, 8, 14 et pass.

(2) B., p. 113; M. et N., VIII, 41.

memoro, cum ei assensisse Varronem verisimillimum sit, licet contra analogiam in universum producatur. Ceterum, quam falsam veteres sermonis cognitionem sæpe habuerint, et quam facile in eorum philosophia signa cum re significata commiscerentur, ex eo manifestum fit, quod similitudinem aut dissimilitudinem rei ad similitudinem verbi nihil attinere, graviter admonendi sunt.

Porro, quando duo verba inter se similia dici possunt? Num, si idem fere sonant? Minime : quis enim *mox* et *nox* similia esse contendet, cum alterum in casus inclinari possit, alterum nequeat? Sic etiam differunt *suis*, a *suere*, et *suis*, a *sus*, non eo, quod alterum *suere*, alterum *animal* significat, (nam significatio utriusque non est intuenda), sed eo, quod alterum in tempora, alterum in casus inclinatur, *volo* autem et *vōlo*, ut supra dictum, quæ ambo in tempora inclinantur, eo, quod in perfecto tempore a priore *volui* prodit, a posteriore *volavi* (1). Nil valet similitudo externa.

Inde sequitur, ad similitudinem inquirendam, in vocabulis, non rectos modo, sed obliquos etiam casus, in verbis, non præsens tantum, sed perfectum quoque tempus et futurum, et tres singillatim personas intuendas esse : quod Aristarchus præsertim, Cratete contra dicente, præceperat (2). Ubi enim vera similitudo inest, debent omnes partes congruere : cujus convenientiæ, in libro quo de universa natura analogiæ agitur (3), plurima exempla perlegi possunt; quæ omnia omitto, cum satis multa infra in singulis partibus orationis occurrant. Ceterum in hoc loco permulta desunt et in scripto versatur magna ambiguitas : quid voluerit dicere Varro, in universum apparet; quæ autem singula dixerit, ignoramus. Parum refert, si nos principium non fugit.

(1) B. p. 154 sq.; M., N., IX, 103 et 108.

(2) B. p. 121 et 137; M., N., VIII, 68 sq.; IX, 43 sq.

(3) B. lib. IX; M. et N. lib. X.

Ingeniose profecto illa et excogitata et præcepta sunt: nonne tamen aliquatenus lis ibi lite resolvitur? Totam argumentorum concatenationem paucissimis verbis repetamus : analogia nulla potest esse, nisi inter verba similia; sunt autem verba similia, non extrinsecus tantum similia, sed quæ in singulis suis partibus similiter inclinari solent; atqui est analogia, verborum similium declinatio similis: quid inde sequitur, nisi, similiter inclinari quæ similiter inclinantur? Quod ad assequendum, sane tanto circuitu non opus erat.

Quam reprehendi culpam, consulto auxi, quo facilius discerneretur; reapse tamen non levis culpa haberi debet. Infeliciter fuit antiquitas eodem semper revolvi coacta, dum analogiam tantum comperit esse, nec, quomodo et qua ratione esset, explicavit; explicare vero nemo, nisi historia linguarum cognita et comparatione facta, poterat. Quod grammaticis Græcis admodum difficile fuit : qui scripta monumenta suæ linguæ non, nisi a tempore non adeo remoto, possidebant, quibusque dialecti tantum in promptu erant, aut parum cognitæ, aut parum certe a κοινῇ discrepantes. Latinis forsitan melius, si suam linguam cum Osca et Umbrica, necnon Etrusca (quippe quæ magis atque magis inter Latinas dialectos computanda videatur) contulerint, aliquot saltem partes suæ grammaticæ illustrare licuerit, neque modo quid in ea simile, quid dissimile foret, videre, sed partim etiam cur hæc similia, illa dissimilia essent; et, ultra inanes de analogia et anomalia controversias progressi, veram loquendi normam et rationem retexerint, simul atque nobis totum Latinorum sermonum ordinem conservaverint, inæstimabilem philologis opem. Quid autem ex ea scientia exoriri poterat, quæ vocabulum jam omnino informatum perfectumque tantum noverat, neque semel, quo pacto quibusque mutationibus paulatim informatum fuerit, suspicata est?

Tam longe Varro non prospexit; quæ vero vidit, recte, Aristarcho duce, vidit : vocabulum scilicet non ex uno tan-

tum casu, uno tempore, una forma constare, sed ex cunctis simul formis quas induere in proloquio queat; quippe nominativum non totum esse vocabulum, neque præsens tempus totum verbum, eumque non ex substantia, sed ex accidente judicare qui unam modo formam conspectet. Quin imo nos scimus, sæpe nominativum obliquis casibus, præsens perfecto tempori, in nomine verbove cognoscendo, postponendum esse. Quod cum sciamus experti, eo majori laudi Varroni est intellexisse non experto. Hoc præceptum sedulo si servaverint veteres, quot ab erroribus et sese et nos immunes præstiterint! Sed in hac quoque regione, quæ posteri assecuturi erant, tenui veluti rimula tantum intuiti sunt. Verum quidem viderunt, sed præterierunt.

§ IV. — Quid sit ratio et inde analogia.

Qua lege, apud Varronem, duo verba inter se similia dici debeant, nunc liquet : similia sunt quæ in pluribus saltem formis conferri atque æquari possunt. Quod in verbis item ut in numeris contingit [1], quorum rationes inter se comparantur : ideo formulas quas mathematici usurpare solent [2] in scientiam sermonis paulisper transferri oportet.

Est ratio, græce λόγος, duarum quantitatum similium, sive æqualium, sive inæqualium, comparatio; inter tres, scilicet, palmas ac novem palmas, inter tres ac novem sestertios, ratio quædam est, quæ ternione exprimitur; verum palmæ cum sestertiis minime conferri possunt. Item de verbis, quæ conferenda non sunt, nisi similia; utrum autem æqualia sint, ut *amor : dolor*, an inæqualia, ut *dolor : dolori*, parvi interest. Nam utrique aut pari aut impari ratione conjunguntur.

Est autem proportio, græce ἀναλογία, contingens inter

(1) B. p. 170 sq.; M. X. 41 sq.; N., p. 578.

(2) Cf. *Orontii Finæi Delphinatis Arithmetica practica*, Lutet. Paris., S. Colinæus, 1544, f° 72 v° sq., 75 r° sq.

comparatas invicem quantitates rationum similitudo, quasi dicas, tres palmas cum novenis collatas, tantum efficere, quantum tres sestertii cum novenis collati. Propterea haud secus in grammatica atque in mathematica scientia proportiones ponere licet, nempe exempli gratia, *amor : amori = dolor : dolori.* Nec raro, in recentissimis de philologia scriptis, ad rationem formarum reddendam, ejusmodi signa usurpantur.

Hæc ut longius producantur, parum necesse est; Varronis mentem tantum perscrutamur, quæ ex supra dictis satis aperte patet. Cum enim sermonis formas cum mathematicis rationibus conferat, satis ostendit, quantam in illis hærere necessitatem arbitretur. Quid simul Pythagorici habeat ille modus sermonis intuendi inque numeros traducendi, jam apparet. E quoque bono fonte hausit aliquid Varro, ut doctrinam suam componeret.

§ V. — Analogiam aut liberam esse aut necessariam.

Quæ peccaverit Varro in principiis jam comperimus. Nunc nobis sine ulla mora sequendus est, quo nos adducere velit.

Natura præstatur inclinatio per casus et tempora. Atqui in natura ubicumque datur proportio constans. Ergo illam inclinationem analogia summa regit, nec quidquam in ea consuetudini permittendum; aut, si quid inæquale reperitur, pravæ consuetudinis hoc vitium est, quod ad proportionem et normam emendari necesse est.

Altera contra, qua vocabula derivantur, voluntaria est. Ideo in illa potest versari analogia, non debet; nam, sicut a *Roma Romani*, sic et a *Capua Capuani*, secus autem et *Capvenses* et aliter etiam dici poterant, si ita jussisset usus communis. Quare, si in illa declinatione aliud analogia, aliud consuetudo decrevit, posteriori obtemperandum, quam penes arbitrium est et jus hujusce partis orationis; sin vero ambæ in unum concurrunt, sibi et consuetudini gratulan-

dum; quod rationi obsecuta est, cum diversas sibi vias pandere posset; nam in consuetudine etiam, recta modo sit, jacet analogia (1).

Huc redeat, si licet, quamvis barbara, mathematicorum lingua, quo melius consequentiæ e principiis deducantur. Si bis geminæ natura exstant quantitates, inter quas versatur proportio constans, nempe $a : b = c : d$, hanc proportionem nemo non accipere potest, hanc formulam nemo non ponere, ita ut, quartum quodvis proportionis membrum, ceteris tribus positis, ipso facto in computationem inducatur. Haud aliter est natura vocabulum *dolori*, scilicet, hinc cum *dolor*, illinc cum *amor amori* connexum.

Sin vero natura nihil præstitit et ego contra solus, volens, rationi qua a et b junguntur sensum quemdam imposui, eamdem rationem in aliam quamvis derivationem transferre possum, nempe facere ut, simili sensu, sit d in ratione cum c idem quod b in rătione cum a. Possum sane, at nulla vi cogor: ex arbitrio meo pendet proportio. Poteram equidem aliam quantitatem e inducere, cui in comparatione cum c eumdem sensum imponerem, licet nulla in iis foret analogia. Sic quoque, si placuit, ponere potui, *Roma* : *Romani* = *Parma* : **Parmani*; aut, si minus, aliud vocabulum *Parmenses* inducere, quod cum *Parma* collatum tantum valeret quantum *Romanorum* nomen cum *Roma* compositum. Tunc anomalia exstabit, cui obsequendum erit, si consuetudine communi sanciatur.

Quamobrem duæ sunt analogiæ species, altera necessaria et quasi rigida, altera voluntaria, flexilis, semperque cum anomalia permixta, utraque hoc modo finienda:

In verbis per casus ac tempora inclinandis, est analogia verborum similium declinatio similis;

In verbis derivandis, est analogia verborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi (2).

(1) B., p. 130; M., N., IX, 18.

(2) B., p. 179; M., N., X, 74.

§ VI. — Quomodo sit analogia consuetudine temperanda, consuetudo contra analogia corrigenda.

Ars activa sermonis apud Varronem pæne deficit, sive quod eam abstrusiore de grammatica opere parum dignam judicavit, sive potius quia eam infra quæ possidemus evolvere debuit, quod verisimilius est. Nam analogiam se per diversas partes orationis persecuturum his verbis admonet: « In quibus debeat quæri analogia fere totidem (quatuor) gradus debent esse conjuncti : primum, ut sint res; secundum, ut earum sit usus; tertium, uti hæ res vocabula habeant; quartum, *ut habeant declinatus naturales* (1); » tum, paulo infra, « secundo gradu, si est natura, neque sit usus... ut fit in *faba*...(2) » tum vero omnia desunt, ut ne conjectura quidem ea quis assequi valeat. De usu quædam dixit, sed perpauca, et profecto, ut ipse fatetur, diligentius quam apertius (3), et dignovit quæ sint consuetudinis veteris, et quæ consuetudinis hujus, tertiamque speciem neutram, quartamque præterea mixtam, de qua nihil amplius dictum est. Quæ sunt consuetudinis veteris et in desuetudinem abierunt, jam non curantur; nam consuetudo dicendi est in motu perpetuo. Quæ consuetudinis hujus singulis sequenda sunt, in iis scilicet partibus quæ consuetudini subditæ sunt. Neutra vero ad poetas tantum pertinent, qui, ni fallor (nam ita obscurum illum locum interpretandum esse censeo), *scalam* dicere aut *scalas*, licet istud vocabulum in singulari numero adhiberi non soleat, imo etiam singulari prorsus debeat carere, cum scalarum pluralis natura sit, poeseos gratia plane possunt. Nec plura de usu in sermone sequendo : quæcumque Varro aut sensit aut etiam dixit, nostris saltem oculis tenebræ sunt.

(1) B. p. 181; M., N., X, 83.

(2) B. *Ibid.*; M., p. 263; N., p. 584.

(3) B. p. 178 sq.; M., N., X, 72, 73, 75.

Verum, superiore jam loco [1], aliquid de analogia et consuetudine concilianda, edisserere cœpit, quod diligenter nobis intuendum est; quippe, etsi illa præcepta ab reo enuntiantur, qui analogiam defendit, nonnulla, ut supra dictum est [2], potuerunt in fine judici placere Varroni. Hæc imprimis animadvertere debemus : « Alia populi universi, alia singulorum, et de iis non eadem oratoris et poetæ, quod eorum non idem jus. Itaque populus universus debet in omnibus verbis uti analogia, et, si perperam est consuetus, corrigere se ipsum; cum orator non debeat in omnibus uti, quod sine offensione non potest facere; cum poetæ transilire lineas impune possint. Populus enim in sua potestate, singuli in illius. Itaque, ut suam quisque consuetudinem, si mala est, corrigere debet, sic populus suam. Ego populi consuetudinis non sum ut dominus, at ille meæ est. Ut rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori unusquisque in navi, sic populus rationi, nos singuli populo [3]. »

Firmam constantemque regulam ex hujuscemodi præceptis expromere difficile adhuc videtur. Hoc tamen primum animadvertendum est, consuetudini permulta ibi permissa esse : ex quo clarum fit, non defensorem quemdam pervicacem et imperiosum analogiæ sermonis, sed temperatum et æquum, ac verisimilius Varronem ipsum, sententiam suam aperire. Imo nimis consuetudini indulgere eum credas, cum populi arbitrio etiam oratorius sermo subjiciatur neque admodum sibi constent instituta quibus analogia consuetudinem dirigendam præceperit. Quid enim? populus legem suam singulorum linguæ imponit; attamen est corrigendus. Quis autem eum corriget? Nemo. Rationi obtemperare debet populus, sed quis ei rationem sermonis ostendet, si oratores omnesque loquendi periti aliter atque

(1) In limine libri VIII (B) vel IX (M., N.).

(2) V. supra, cap. II.

(3) B. p. 127; M. et N., IX, 5 et 6. Leves scripturæ ambiguitates neglexi.

ipse populus eloqui prohibentur, rectisque certe exemplis vulgus erudire? Num eos, a quibus populum educari oporteret, legem voluntatis ejus subire decet? Num in grammatica quoque plerorumque suffragia colligenda sunt, ita ut litteratus non antea pure et emendate linguam suam eloqui possit, quam populus suam ipse in melius reformaverit? Quid vult ceterum manca illa sermonis cum navis directione comparatio? Gubernatoris non omnes simul classiarii, non quivis inter eos, vicem implet, sed unus tantum, cui venti et stellæ et ratio navigandi penitus comperta est. Quin item de sermone? Quis cunctos ad temonem nautas vocabit? quis ad corrigendum sermonem omnes illitteratos?

Pergamus igitur, et, si attenta cogitatione caligo dispelli possit, experiamur. Infra legimus [1] quamcumque pravam consuetudinem radicitus evellendam esse, et minimi ad id referre, utrum vetus sit, an novissima; nam, si puer quidam distortis ire cruribus nuper inceperit, reprehendere eum et corrigere nemo profecto omittet; at rursus, si prava consuetudine inveterata varus factus est, adhibetur ei ars manusque medica. Nonne stultus foret, qui puerum, sanum adhuc, corrigeret, infirmum vero factum, non curaret? Atqui non aliter judicandum de illo, qui pravam consuetudinem, modo inveterata foret, non emendandam putaret. Inde sequitur omne in consuetudine mendum, aut recens, aut vetus, extemplo delendum esse : quod quomodo cum supra dictis concilietur, sane non statim apparet.

Ecce tamen alia quoque præcepta occurrunt, non minus discrepantia [2] : « Quare, qui ad consuetudinem nos vocant, si ad rectam, sequemur; in eo enim quoque est analogia; si ad eam invitant, quæ est depravata, nihilo magis sequemur, [quam] [3], nisi cum erit necesse, sequar in ceteris

(1) B. p. 128 sq.; M., N., IX, 10 sq.

(2) B. p. 130; M., N., X, 18.

(3) Hoc vocabulo *quam* interposito videtur mihi proloquium facilius et clarius evolvi

rebus mala exempla; nam ea quoque, cum aliqua vis urget, inviti sequimur. » At, si prava consuetudo etiam invito sequenda est, quomodo sit emendanda, inquirimus. In labyrintho quodam inextricabili divagari nobis videmur, ubi statim cogimur regredi, ut nobis falsus exitus patuit.

Exire tamen, ut quidem ego sentio, haud adeo difficile est (quanquam materia parum ordinata est et de ipsa scriptura nonnunquam ambigitur), cui filum jam compertum in manibus hæsit, nempe qui distinctionem analogiæ et necessariæ et voluntariæ in memoria tenet. Nam aut ad utramque aut ad alterutram dicta præcepta attinent, quæ igitur secernere oportet et in ordinem quemdam distribuere, propemodum ut sequitur :

1º Res ipsa monet, ubi de sequenda consuetudine Varro loquitur, id non de iis partibus orationis dictum esse, quæ natura præstantur atque ideo analogiam rectam usque postulant, de inclinatione scilicet in casus ac tempora; nam, si in iis forte quid occurrit, quod perperam receptum sit, cum id contra naturam ipsam sermonis receptum sit, radicitus est evellendum, sive recens, sive inveteratum, et prava consuetudo semper ratione corrigenda. Et mihi quidem videtur Varro, licet non expresse dixerit, censuisse, oratori tanquam, ne dicam magis quam, cuilibet alii fas esse in iis rebus populum corrigere. Quanquam, ad id recte faciendum, quid sit analogia penitus dignovisse necesse est; oculo enim parum attento potest quædam forma analogica videri, cum ab analogia toto cœlo aberret : quod in singulis exemplis patebit : atque ideo quisque monendus est ut non nisi exactissimo judicio menda auferat, et grammatici jam potius quam oratoris hoc opus est. Utcumque se res habent, hoc tantum nostra refert, quæ de consuetudine stricte emendanda suadentur de iis partibus orationis suaderi quæ strictæ analogiæ legibus obtemperant.

quam sicut in editione Bipontina (V. p. 130) repositum est; ex quo præterea sensus aliquis sequitur, ni fallor, a priore dissimilis, paululumque a sententiis quæ antecedunt et ab iis quæ sequuntur discrepans. Id tamen O. Muellerus propria auctoritate addidit.

2° Ubi vero analogia voluntaria est, potuit eam consuetudo prætermittere, quapropter non est culpanda. Cum tamen in omnibus rebus sit proportio inæqualitati anteponenda, et rectæ rationi obedire quam insolenti obsequi libidini merito melius ducatur, ut populus in sermone tanquam in ceteris rebus rationem sequatur, quid sit analogia docendus est, si ad ejus normam orationem suam flectere velit. Quod si faciet et semet ipsum corriget, sponte faciet, cum aliter agere ei liceat nec sit analogia necessaria; neque contra ejus auctoritatem cuiquam sermonem reformare fas est, in illis saltem partibus quæ ex ejus arbitrio omnino pendent.

3° Orator ibi, velut ceteri, plerorumque arbitrio parere debet; et quidem quia hi tantum analogiam finire aut possunt aut debent, qui eam penitus edidicere; et imprimis quod sine offensione aliter atque populus loqui non posset, vel a plerisque non intelligeretur, sermonem quemdam abstrusum et elaboratum per delicias loquens, abditæque rationi inserviens quam nondum populus probaverit. Alia enim est necessaria, alia voluntaria obsequentia. Populus consuetudinis singulorum quasi dominus est. Populus ut analogiam sequatur, expetendum est; singuli vero e populo, eam cui consuetudo communis non repugnet [1].

4° Sin vero singuli consuetudini obsequentur, non ideo populus ducibus carebit et magistris; nam, intervenire quemdam præceptorem, Varro perspicuis verbis significat [2]: « [Homines] a minus commodis verbis ad ea quæ sunt cum ratione *modice* traducere oportet, velut nutrix infantes a lacte non subito avellit. » Quis ergo traducet? At quis poterit et certo sciet, nisi grammaticus et philosophus, cui patuerit tota natura ratioque sermonis humani? quem licet Varro non nominatim designaverit, omnia, quibus hoc loco utitur, verba satis designant. Quod igitur

(1) B. p. 127; M. et N., IX, 6.

(2) B. p. 129-130; M. et N., IX, 16.

oratori facere non licet, qui, ut intelligatur, vulgarem sermonem usurpare debet, id litterato permissum est : ille populum rationem docebit, admonitusque populus et errore solutus rationem sequi incipiet, singulis postea sequendam.

5° Rursus poetæ alia sub lege vivunt, quam se infra explicaturum esse Varro pollicetur, ubi de poetica analogia quæstio agetur (1). Quid autem de ea senserit, nos ignoramus, cum in partibus operis superstitibus nihil ejusmodi occurrat.

Sic apud Varronem censeo analogiam cùm consuetudine conciliari, nec possum non mirari quam æquos utrique fines adscripserit. In eo enim maxima jacebat difficultas : si quam in sermone fatearis versari analogiam, hac debet totus sermo regi ; at, si analogiam omnino, prætermissa consuetudine, sequaris, fit sermo incomprehensibilis, ipsaque æqualitate odiosus et quasi barbarus. Quanta igitur peritia, ne dicam solertia, Varro analogiam simul et agnoverit et a toto sermone corrigendo dispulerit, id imprimis animadvertendum : orator sequi analogiam prohibetur, nisi eam populus agnovit ; analogia vero a populo agnita jam non est aliud nisi recta consuetudo. Sic etiam Cæsar, cui analogia parum placuit, oratorem insolens verbum fugere jubet (2) : quippe Romanis, qui vanas oderant speculationes, ridiculus visus esset orator qui, ambitiosa in loquendo jactantia putidoque cujusdam proportionis amore, sermonem sibi paravisset a vulgari prorsus remotum. Quid vero ? si exstat analogia, quomodo non ubique sequenda ? Varro, dum duas analogiæ formas distinguit, difficultatem enodat : in natura et ratione abdita sermonis, omnia analogiæ conceduntur ; in arte contra loquendi activa, quidquid analogiæ est in minimum retrahitur ; et utrinque Varro sibi constat : haud parva laus, quanquam nos ratione prorsus diversa quæstionem solvimus. Ita servatur analogia, quam servari

(1) B. p. 179 ; M. et N., IX, 115, et X, 74.

(2) G. Boissier, *op. cit.*, p. 147.

necesse est, si sermonem natura exortum credas, et tamen usus non aufertur, extra quem nemini certe, qui intelligi vult, sibi sermonem conficere licet.

§ VII. — De argumentis quæ analogiæ in universum objici possunt.

Postquam, Varrone magistro, aliquam esse in sermone analogiam ostendimus, cujus fines delineavimus, nunc sub ejusdem auspiciis argumenta inspicienda sunt grammaticorum qui contra analogiam in universum pugnant, eamque omnino non exsistere, pervicacius profecto quam felicius, contendunt. Horum quatuor præcipua sunt : quæ quam inania sint et puerilia, Varronem plane vidisse, asserere non ausim, suspicatum tamen esse, certum est; nam perpaucis verbis et explicantur et confutantur, nec pluribus digna sunt.

I. Cum utilitatis tantum gratia vocabula introducta sint, nihili autem referat ad utilitatem, utrum sequamur analogiam, necne, modo sermo intelligatur, quæritur quid orationi analogia proficiat, aut quid omnino velit; « neque enim, utrum *Herculi* an *Herculis* clavam dici oporteat, si doceat analogia, cum utrumque sit in consuetudine, non neglegendum, quod æque sunt et brevia et aperta [1]. » Sermo igitur, sive analogicus est, sive inæqualis, modo intelligi facile possit, probandus est et placere debet; placebit autem et intelligetur, si communi consuetudini obsequetur. Illa legem totam loquendi continet, nedum inutilis et imaginaria proportio.

Hujuscemodi calumniam nos quidem statim vitio arguimus, quod in ea oratio artificiosa habetur et quasi hominum data ad id opera confecta; nempe quasi quis diceret : « Utrum sit secundum omnia artis præcepta ædificata

(1) B., p. 110; M. et N., VIII, 26 sq.

domus, necne, modo nos contra pluviam et tempestatum injurias tueri valeat, minime refert. » Nos, quantus ibi error jaceat, non ignoramus. De eo quod natura peperit, quod per longa secula lenta ac necessaria informavit evolutio, sicuti de opere unius hominis, ipsius sibi suæ artis peritiæque conscii, argumentari non licet. Non enim utilitatis gratia ab initio repertus est sermo, quem postea tantum utilitatem versus homines consulto direxerunt; at prima illa vox, primus quam edidit homo, instinctu quodam arcano sensus suos exprimere coactus, totum sermonem continet. Num infantem, simul atque matris utero emergit, utilitatis cujusdam a se compertæ causa vagire existimes? Desine igitur de sermone, tanquam de supellectili aliqua aut de vestimentis, loqui : hæc ad normam utilitatis nostræ conficiuntur, ille natura sua stat. Fuit profecto utilitas, in informando sermone, secundarum; quam vero in cunabulis naturam habuit, non potest adultus non servare. Sic judicat cui vera sermonis origo innotuit.

Hoc tamen quoque scimus, Varronem licet sermonem natura exortum prædicaverit, penetralia ejus nunquam tam alte adiisse, ut argumenta ἀνωμαλητικὰ tali responso concerpere valeret. At responsum facit, ut pro suis viribus, optimum et aptissimum (1) : si utilitatis gratia sermo inductus est, item de sermone uti de permultis aliis rebus, quæ omnes utilitatem quamdam habent aut commoditatem afferunt, in quibus vero nihilo secus quasdam sequi solemus similitudines; ut fit in vestimentis, quorum virilia a muliebribus prorsus differunt, verum inter se similia sunt; neque obest utilitati eorum similitudo, imo etiam prodest, quo melius agnoscantur. Ita, quo plumbeo pugione pugnant adversarii, ipsi feriuntur.

II. In humanis autem rebus, non utilitas sola, sed etiam pulchritudo intuenda est : ergo, si potest analogia quodam

(1) B., p. 138 ; M. et N., IX, 48.

modo efficere, ut sermo pulchrior fiat, analogiæ assentimur; at contra, si illa adhibita fit sermo planus et uniformis et fastidiosus, si tollitur omnino varietas, in qua maximum omnium rerum constat inesse leporem, analogiam quis defendet, quæ cum inutilis tum injucunda videtur? Hominibus enim nihil placet, nisi varium, odio sunt simplicia sibique semper similia : cur non et oratio, mentis humanæ eximium opus, hac varietate prædita sit, cui analogia prorsus repugnat, sine qua tamen ars languet, perit gratia, flos omnis dicendi exaret [1]?

Illud argumentum eodem, atque prius, vitio laborare, haud ægre discernimus : nonne videtur ex hominis arbitrio pendere varietas atque ideo pulchritudo sermonis? quasi si fabro cuidam dicas : « Linea recta parum ad ornatum valet, oculo nimis rigida displicent : serpentum flexuosos nodos igniumve varium tremorem cælo, faber, imitare. » Sub eadem luce Varro sermonem intuens simile, necnon majoris ponderis, edit argumentum, quod ad ipsam pulchritudinis naturam attinet : non idem scilicet esse varietatem rerum et confusionem; et, si varietas sit jucunda, magis varium, atque inde jucundius esse, in quo alia sint similia, alia non sint [2]. Et profecto miros in qualibet arte peperit errores varietas sola nulla lege directa : humanæ menti nihil placet, non nisi varium, sed nisi varium simul et unum. Quid plura tamen de sententiis, ab eo, quod ipsi de sermone sentimus, prorsus discrepantibus?

III. In tertia adversariorum parte latet omnis eorum vis argumentandi, imo analogia titubat, ex eo ipso latere, quo infirmior est, labefacta : si est in oratione analogia, aut in omnibus ejus partibus est, aut in aliqua : et in omnibus non est; in aliqua esse parum est, ut album esse Æthiopem non satis est quod habeat candidos dentes : non est ergo

(1) B. p. 111 ; M. et N., VIII, 31 sq.

(2) B. p. 137 ; M. et N., IX, 46 sq.

analogia [1]. Apte concluseque dictum : quid est enim analogia quæ hinc regnat, illinc consuetudini inservit? profecto non ipsa substantia sermonis, sed merum aliquid accidens, ubi forte contingit. Si est analogia in verbis proportio necessaria, ubicumque eam reperiri necesse est: aut certe, ubi non invenitur, quibus causis perturbata fuerit, explorandum. Quod fieri non posse constat.

Apud nos sane constat, nedum id veteres infitiarentur; nam ea quæ enormia videbantur, quomodo ii ad normam turbatæ cujusdam analogiæ reducere poterant, qui historiam sui sermonis ignorabant? Nostra quid refert inæqualitas, si ipsi analogiæ jam non assentimur? Sed apud veteres qui analogiam defenderunt grammaticos, quæ contentio adhiberi debuit, ut imaginaria analogia cum manifesta inæqualitate conciliaretur! Illum vero quoque nodum Varro elegantissime solvit, cum ad suam distinctionem redeat de declinatione tam necessaria quam voluntaria. Quippe, si quando analogia deficit, contingit hoc in verbis derivandis, ubi libera est et ex arbitrio consuetudinis pendet, quod a singulis exemplis patebit : neque inde quidquam contra analogiam in universum expromi potest. Si enim omnino deesset in declinatione voluntaria, quæ est minor pars orationis, maneret tamen in majore, quæ est inclinatio necessaria : quod jam satis esset ad analogiam probandam; at non deest; est contra cum in minore tum in majore parte orationis [2]. Ne plura dicam, quantam Varronis opinioni opem attulerit duplex analogiæ natura, satis apparet.

Hoc præterea animadvertendum est, quod Varro prædicat quodque novissima philologia plane confirmavit, inclinationem in casus ac tempora multo magis valere ad naturam sermonis inquirendam, quam diversæ rationes quibus formantur vocabula et derivantur. Sic enim illa verba

(1) B p. 113; M. et N., VIII, 37, 38.

(2) B. p. 137; M. et N., IX, 45. Quanquam nostræ interpretationi Spengelianæ et Muellerianæ emendationes non congruunt.

« major, minor pars orationis » interpretanda esse censeo, quæ invicem opposita vix aliam interpretationem recipiunt. Nisi forte obstat clausula totius argumentationis, scurrilis profecto jocus magis quam erudito viro digna probatio, quæ tamen sic intelligenda mihi videtur : ut sit analogia in sermone, non necesse est ut ex una ad alteram partem sermonis extendatur; satis est si singulas partes comprehendit; ut nos calceos habemus quanquam pedes tantum calceis obtegi solent. Nec longiore ibi commentatione opus est.

IV. Denique, dicet aliquis, si foret analogia, de ejus natura et actione consentirent in unum qui eam defendunt : quod illos videmus facere non posse; nam, ubi alii analogiam quærunt, alii nihil nisi inæqualitatem esse volunt (1). Hi vocabula quoad significationem conferunt, quod absurdissimum illi ducunt; hi vero in vocabulis formandis derivandisque analogiam sequuntur, illi in inclinatione tantum per casus et tempora, nonnulli in utraque. Discrimen adeo confusum quis solvere possit? Conveniant primum analogetici, ne leges suæ collidantur; tum, quomodo iis obtemperandum sit, videbimus.

Quæ Varro respondet omnino probanda sunt : hodie etiam ne unum quidem verbum ab iis detrahendum arbitror. Quin simul opponi possunt cunctis obtrectatoribus qui omnes doctorum controversias dubiasque opiniones quasi per delicias recensent, ut ipsi doctrinæ fidem recusent adhibere, quique errores scientiæ magno rumore jactant, suæ ignorantiæ, qua propemodum gloriantur, excusationes? Nonne iidem quotidie, eo severiores judices quo indoctiores, duorum insignium virorum, quos ne intelligere quidem valent, certamen faciunt et superbi spectant, et quod ii sibi invicem contra dicunt utrumque insanire judicant, et totam demum scientiam irrident? Ceterum eo acutius cavillantur,

(1) B. p. 113 sq.; M. et N., VIII, 39-43.

quo circumspectiore modo docti semper sententiam suam efferunt; nam illam doctorum modestiam vulgus non intelligit : si quid audacter affirmes, capitur; si ut verisimile tantum prodas, non curat. Nihil negatione facilius, probatione difficilius. Hujusmodi fastidia nulla profecto scientia magis quam philologia tulit. Quanquam scientiam aliquam culpare et in dubium revocare, quod diu balba fuit et inepta, non æquius est aut prudentius, quam si quis totam astronomiam omnino neget quod in alucinationibus astrologiæ cunabula sua habuit. « Sic enim, ait Varro (1), omnes repudiandum erit artes : quod in medicina et in musica et in aliis multis discrepant scriptores.... (2) Quod ita, ut dicitur, non sit ars, sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum, non ideo non posse scribi verum. » Cujusvis hominis est errare; verum autem per se stat, et perscrutando comperitur, quo serius ocius error depellitur.

Sic igitur argumentorum, quæ contra analogiam prodeunt, ultimum deletur : quorum unum revera tantum aliquid contra analogiam valet; id ipsum vero Varroniana de sermone præcepta amovent. Manet ergo analogia, quatenus certe eam Varro manere voluit, scilicet in inclinatione per casus ac tempora, in universum. Hoc unum assequendum superest, analogiam in singulis diversisque partibus orationis inspicere, ut manifestum fiat, eos, qui analogiam negant, eam, aut ubi versatur non videre, aut quærere ubi reapse versari non debeat.

(1) B., p. 156; M. et N., IX, 111 sq.

(2) Quæ omitto verba Muellerus conjectura tantum assecutus est, nec, qualia restituta sunt, admodum clara videntur.

CAPUT QUARTUM.

De analogia in singulis partibus orationis.

In eo quod ad analogiam per singula traducendam attinet, omnia fere quæ Varroni placuerunt, nobis, aut penitus desiderantur, aut saltem conjectura tantum assequenda sunt; nam eo ipso loco, ubi suas de analogia in singulis partibus opiniones exponere incepit, desinit scripti pars superstes, nec tanti operis unum exstat vestigium. Quantum ex initiis conjectare licet, ubi de verbis indeclinabilibus agitur, singulas per ordinem partes communis sermonis recensere debuit, et in unaquaque, quid analogiæ esset, quid meræ consuetudinis, diligentissime secernere [1]. Cum vero ea nobis infeliciter deficiant, cumque de Varrone non probabilia tantum, sed certa atque comperta edisserere contendamus, non omnino tamen in tenebris vagari cogimur : lumen affert, quidquid analogiæ in singulis partibus objicit qui analogiam obtrectat [2], quidquid ei respondet qui analogiam contra defendit [3]; ex quo, licet plurimas rimas explere non possimns, licet etiam Varronis opinio interdum forsitan neutra sit et in medio stet, tamen, cum ad analogiam semper stet propius, quid ipse senserit, haud nimio

1 B., p. 180; M. et N., X 79.

B., p. 114 sq M. et N., VIII, 44 sq.

3) B., p. 135 sq.; M. et N., IX, 36 sq.

labore expromere licet. Imo vero, cum ibi præsertim de verbis in casus ac tempora inclinandis agatur, in quibus Varro analogiam naturalem et necessariam versari docuit, est plerumque opinio ejus qui pro analogia dicit plane pro Varroniana accipienda.

Sunt autem partes orationis quatuor, scilicet partes : appellandi, sive nomen, quod casus habet; dicendi, vel verbum, quod habet tempora; jungendi, vel conjunctio, quæ habet neutrum; denique adminiculandi, sive adverbium, quod habet utrumque (1). Recta quidem grammaticæ divisio, præter postremam partem; nam id intelligi non potest, quemadmodum Varro existimaverit adverbium, veluti *docte, commode*, in casus simul et tempora inclinari, cum neutra habeat. Erudito cuidam interpreti videtur adverbium cum nomine verbali, quod participium vocamus, permiscuisse (2), nam nomen verbale simul et nominis et verbi naturam in se trahit. Mira profecto et incredibilis eo magis confusio, quod ex ipsis adverbiis excerpta exempla proferuntur; aliter vero erroris ratio reddi posse non videtur. Utcumque se res habet, ordinem a Varrone præscriptum sequamur.

§ I. — De partibus orationis quæ in casus inclinantur.

Partes orationis quæ habent casus neque habent tempora rursus quadripartitam divisionem accipiunt; nam distingui debent : provocabula, velut *quis? quæ?* vocabula, quæ nos nomina communia vocamus, ut *scutum*, *gladius*; nomina, quæ nos nomina propria dicimus, ut *Romulus*, *Remus*; pronomina demum, nempe *hic*, *hæc*, ceteraque similia (3). In singulis autem eorum tria intuenda sunt, scilicet : sexus, utrum sit virilis, an muliebris, an neuter; numerus, utrum

(1) B., p. 114; M. et N., VIII, 44.
(2) Lersch, *op. cit.*, p. 121 i. n.
(3) B., p. 115; M. et N., VIII, 45.

sit unus, an sint plures; denique casus, utrum sit rectus, an obliquus, an communis [1]. Cum postrema vero divisio paululum fluctuet, videtur potius unusquisque casus proprio suo nomine designandus.

Bis quadruplicem illam partitionem, quibus in locis Varro forte non stricte admodum secutus sit, nos restituere experiemur, cum ad evolvendam adeo implicatam materiam exactissima rerum distributione ubique opus sit. Et primo ordine occurrunt

I. Provocabula. — Ibi maxima versatur confusio et analogia fere nusquam apparet; nam, « si esset analogia, ut est *quis, quem, quojus,* sic diceretur **qua, quam,* **quajus;* et, ut est a *quis, qui,* sic diceretur **qua, quæ,* nam est proportione simile, ut *deæ bonæ quæ sunt,* sic *dea bona*qua est;* et, ut est *quem, quis,* sic *quos, *ques....* [2] » Rectius dixisset **ques, *ques,* quod in ea inclinatione accusativus pluralis nominativo debet esse similis; sed pleræque illæ consequentiæ sive proportiones claudicant, quas ut spinosiores librarios postea indulgentius laturos ipse Varro sane præviderat [3].

Hæc de provocabulis objecta Varronem usquam confutavisse non apparet : non quod parvi ponderis esse duxerit, quippe quæ spinosa fateatur esse; sed forsitan potissimum ut nimis ardua amovit et siluit. Sin vero in aliqua parte operis, nunc amissa, ad ea rediit, procul dubio sic argumentatus est : inter se nulla quoad analogiam conferri posse, nisi similia; provocabula autem a vocabulis plane differre suamque propriam habere inclinationem; ad normam igitur vocabulorum non revocanda esse. Quod omnino verum est, sed veteres id tantum asserere potuerunt, novissima philologia comperit ac probavit; nam non ante, quam

(1) B., p. 115; M. et N, VIII, 46.

(2) B., p. 116; M. et N., VIII, 50.

(3) Ibid.; vel « indiligentius elaturos » apud M. et N., VIII, 51.

suas errorem non patientes vias grammatica comparativa panderet, duas illas inclinationes prorsus segregare indubitate licuit [1].

II. Vocabula. — In vocabulis imprimis

A. Sexus intuendus est, et quidem

α) jam in hoc analogia non reperitur : quod habent aliquot vocabula triplicem sexus formam, ut *doctus*, *docta*, *doctum*; alia, duplicem tantum, ut *cervus*, *cerva*; alia vero, non amplius una, ut *aper*, *panthera* [2]. Quæ est ergo hæc similitudo, quæ in similibus dissimilitudinem patitur?

Sexus igitur incerta ratio est et inæqualis; nulla ibi controversia versari potest : quod Varro longe perorat, nedum dissimulare contendat. Nil mirum, cum ejus opinioni adsit illa vocabulorum mobilitas. Quid enim? nonne ibi de vocabulis informandis agitur et derivandis, ubi multum consuetudini indulgetur? Natura ipsa quidem sexus distinguitur : itaque, ea verba, ubi duo sexus et præterea aliquod neutrum esse potest, triplici forma inflecti, ea contra, in quibus neutrum genus locum non habet, velut in animalibus, quæ marem tantum et feminam secernunt (nam natura spadones non fiunt), duplici tantum inclinari, necesse est. Hæc de vocabulis quæ ad normam naturæ flecti solent. Sed, cum in formatione consuetudo magnopere valeat, quid ad analogiam refert, si in quibusdam animalibus sexum distingui communis consuetudo non jussit, cum, utrum esset mas, an femina, nemo rogare soleret, speciemque solam, sublata sexus definitione, omnes intuerentur [3]?

Ægre Varro melius excogitare responsum poterat; itaque quæ semel de derivandis aut inclinandis vocabulis dijudi-

(1) Cf. imprimis ea quæ de inclinationibus provocabulorum egregie docuit Boppius (*Gr. comp.*, ed. Bréal., II, § 343 sq.) et Schleicherius (*Compend.*4., p. 608 sq.).

(2) B., p. 116; M. et N., VIII, 47.

(3) B., p. 140 sq.; M. et N., IX, 55 sq

cavit persæpe repetens, iterum atque iterum e vadis emergit. Mirum est, ejus præcepta quam consentanea semper videantur; quæsita tamen et arte parata magis quam natura convenientia. Quippe, si magnum illum, cum in Græca tum in Latina lingua, proventum vocabulorum conspexisset, quæ, virilis quidem sensus, muliebriter desinunt, aut muliebris, viriliter, forsitan ei in mentem venire posset, omnes illas syllabas, quibus sexus indicatur, fortuita plerumque et arbitraria accommodatione ad id usurpari, nempe olim et in nativa lingua nulli sexuum discrimini congruisse, sed, processu temporis et naturali linguæ incremento, huic paulatim irrepsisse muneri (1). Fautoribus autem analogiæ tam alta cogitatio defuit, qui, cum in adjectivis vocabulis vicissim *us, a, um* occurrere animadverterent, idem in omnibus vocabulis contingere debere, immoderate sibi sumebant Aliter Varro, qui analogiam ibi consuetudine temperandam callide censuit.

Quod si recentem scientiam consulueris, in hac quæstione fere nihil jam perplexi invenies. Scimus enim, quod nos docuit collatio omnium linguarum, maximeque earum, quas vocamus, agglutinantium, in plerisque notionem sexus ab initio in promptu non esse, tum postea evolvi et signis demonstrari. Non in cunabulis, non antea sæpe quam adulta lingua historicum attigerit gradum, incipit sexus adjecta syllaba distingui, diutinaque ad id assequendum experientia opus est, nedum sponte fiat. In omni igitur sermone, si quosdam artificiales excipias, velut anglicum, ubi genus virile et muliebre et neutrum arte grammatica adeo exacte dispertitum est, ut cum maribus et feminis et inanimis rebus plane congruat, necesse est huic speciosæ convenientiæ multa enormia irrepere, prioris status, ubi cuncta confusa jacebant, locupletissima vestigia. Neque nos fugit, in permultis vocabulis, genus contra exstitisse, tum in

(1) Cf. Schleicher, *Compend.*[4], p. 500 sq.; Bücheler-Havet, *Déclin. lat.*, Paris, Vieweg, 1875, p. 8-9, i. n.

desuetudinem abiisse, quod in ipso præsertim exemplo, a Varrone prolato, *feminæ* evenire potuit. Nihil enim obstat quin olim **feminus*, *femina*, **feminum* dictum sit, cum *femina* muliebrem formam cujusdam nominis verbalis esse constet, quod ex principali verbo **fevere*, scilicet *gignere*, adjecta syllaba *-mino-* (græce -μενο-), ductum sit; a quo etiam *fetus* et *fenus* derivata tenemus [1]. Itaque id vocabulum, quanquam non facto, triplicem formam jure possidet. Item de omnibus adjectivis nominibus quæ tanquam substantiva usurpantur : quod non raro fit.

β) Cum de sexu ageretur, poterat etiam altera iniri disputatio, qua prior generaliter comprehenditur, quam vero Varro levissime tantum attingit, nempe cur sint nonnulla vocabula formæ quidem similis, sexus autem dissimilis [2], velut *abies* et *paries* aut, inter nomina, quæ infra visuri sumus, *Alfena* et *Perpenna*. Ibi quoque partim verum vidit, similitudinem scilicet vocabulorum parvi ad significationem referre, et inde ad sexum rei significatæ et ipsius nominis. Imo, quid in syllaba, qua vocabulum desinit, fortuitum sit et adventicium, his verbis haud improprie notavit : « ut, calcei muliebres sint, an viriles, dicimus ad similitudinem figuræ, cum tamen sciamus, nonnunquam et mulierem habere calceos viriles, et virum muliebres. » Paulo amplius progressus forsitan invenisset, ea sexus indicia posterius tantum linguæ jam informatæ imposita fuisse, unde fit ut plura vocabula, quod iis usus impertierit, munus non agnoscant.

B. Nunc transeamus ad numerum : in quo animadvertimus, pleraque vocabula duplicem formam numeri habere, quædam tamen, plurali, tanquam *cicer*, quædam singulari, ut *salinæ, scalæ,* carere [3]; quin et ita contingit de duobus

(1) Cf. Corssen, *Ueb. Ausspr., Vokal. u. Beton. d. Lat. Spr.* (Leipzig, Teubner, 1868-70), I, p. 143 sq. — *Secus* : Curtius, *Gdzg. d. Gr. Etym.* 5, p. 252.

(2) B., p. 136 ; M. et N., IX, 40 sq.

(3) B., p. 115 ; M. et N., VIII, 48.

vocabulis ferme similibus; nam dicuntur multitudinis nomine publicæ *balneæ*, non *balnea;* contra quod privati dicant unum *balneum*, quod plura *balnea* non dicant (1). At, qui hoc reprehendunt, ignorant analogiæ fundamentum esse naturam simul et usum (2). Nam, si qua res natura est duplex aut multiplex, velut *scalæ, bigæ*, ea singulari vocabulo designari prorsus non potest; at, si contra multitudinem non recipit, nota pluralis numeri vocabulo adjici ipsa natura prohibetur. Adde consuetudinis arbitrium, in vocabulis informandis potentissimum, quo sæpe fit, ut quodvis nomen, licet singulari numero, ad significationem multitudinis traductum sit, unde paulatim signum multitudinis amittat. Quæ omnia Varro magna et prope redundante argumentorum exemplorumque copia illustrat, quæ recentiori scientiæ forsan inutilia videantur (cum jamdiu compererit usu solo effici, ut aliquod verbum in singulari potius quam in plurali numero adhibeatur, idque proprie ad grammaticam non pertinere), quæ tamen nobis non parvi æstimanda sunt, ut quæ Romanorum usus loquendi certa documenta contineant.

De numero mirum est adversarios non quæsiisse (quod saltem Varro non memorat) cur vocabula ejusdem generis non eamdem notam multitudinis habeant, cur scilicet dicatur, a *dominus, domini*, et a *victor, victores*, aut, ut verba similiora proferam, a *pater* videlicet, *patres*, et a *puer, pueri*, a *lātus, lāti*, ab *artus* contra, *artūs*, inclinatio postulet. Interrogati procul dubio respondissent analogetici, ejusmodi vocabula revera non similia esse, cum in recto casu inter se congruant, in obliquis autem prorsus discrepent, ut in dativo singulari, verbi gratia, *pater patri* et *puer puero*, *lātus lāto* et *artus artui*. Quod si tamen eos adversarii urgerent, iterum percontantes cur non similia forent in obliquo casu, quave ex causa hinc similitudo

(1) B., p. 144. M. et N., IX, 68.

(2) M. et N., IX, 63 sq.; aliter legitur in B. p. 142

illinc inæqualitas inveniretur, deficeret analogia. Quam manca sit, ingeniosa licet, scientia veterum, sic ex omnibus prolatis exemplaribus patet.

C. Nunc agendum est de inclinatione vocabulorum, qua vocabula, aut derivantur, ut, ab *equus, equile*, aut augentur, velut *doctus*, *doctior*, *doctissimus*, aut minuuntur, ut fit in *cista*, *cistula*, aut denique in casus flectuntur, scilicet *equus*, *equi*, *equo*, *equum*, horumque similia (1). Quorum in singulis sitne agnoscenda analogia, rogamus.

α) In prima parte jam scimus iis qui contra analogiam dicunt fere omnia favere : itaque immodice superbiunt, collectasque undique vocabulorum inæqualitates præ se ferunt, sciscitantes scilicet cur non a *bove* **bovile* tanquam ab *ove ovile*, non a *duo* **duoni* vel **duini* ut a *tres trini*, non a *Parma* **Parmani* sicut a *Roma Romani* non a *ferre* **fertor*, cum a *legere lector*, dici soleant (2). Singulis ibi objectis Varro respondere omisit, cum omnibus simul respondeant quæ generaliter de inclinatione docuit, nempe voluntariam esse inclinationem qua vocabula formantur (3). Neque summatim erravit, neque ipsi in plerisque certe casibus aliud quidquam respondendum putamus; scitum enim est nibil præter consuetudinem vocabulum *Parmense* cuidam alii, ut **Parmani*, ut designarentur Parmæ incolæ, posse antetulisse, soloque usu magistro, non **fertorem* solere dici, sed *latorem*, e radice *tla*, græce τλάω, ex qua supinum suum quoque verbum *fero* ducere institutum est. De quibusdam tamen exemplis aliquid aptius dici poterat, nec possumus non mirari, Varronem, cum certo sciret *Bellonam* idem esse verbum quod *Duellona* (4), non vidisse, modo prorsus simili, nullum inter *bini*, *bigæ* et **duini*

(1) B., p. 116; M. et N., VIII, 52.

(2) B., p. 116 sq.; M. et N., VIII, 54-57.

(3) V. supra, cap. II, § II.

(4) B., p. 21; M. et N., V, 73

**duigæ* discrimen interesse. Illa enim debuit congruentia omnes ejusdem naturæ illustrare; quanquam veteribus grammaticis naturales sonorum mutationes non adeo innotuerunt, ut duplicem consonam *dv* in unam *b* immutatam esse recte intelligere possint : quod nobis facillimum videtur et Græca lingua haud multum absimili modo quoque ostendit, mutando *ἴκϝος in ἵππος, et multo melius etiam illæ Superioris Germaniæ dialecti, quas primus Ascoli ingeniose in comparationem induxit, in quibus sonat *eppes* quod in puriore lingua dicitur *etwas* (1). Phoneticam vero scientiam, initium omnis philologiæ, veteres grammatici prorsus ignoraverunt : itaque, ubi duo verba conferuntur, aut ex historicis fontibus collatio hauritur, ut in *Bellona-Duellona*, aut, si historica documenta desunt, adducuntur plerumque falsæ et imaginariæ similitudines, dum veræ necnon admodum vicinæ negliguntur. Hæc tamen quæstio Varroni forsan non omnino aliena fuit, nam hoc loco aliquot verba desiderantur (2).

Non alienum esset apud Varronem invenire aliquid de iis quæ contra analogiam in participiis objiciuntur (3); nam verba activa, dicunt adversarii, participium et in præsenti tempore habent et in futuro, ut *amans, amaturus*, nullum autem in perfecto, cum passiva contra in perfecto tantum participium habeant, nempe *amatus*, nullum in præsenti neque in futuro; imo etiam alia sunt verba, quæ communia sunt dicta (apud nos deponentia), quæ forma quidem passiva, significatione autem activa imitantur; his tria sunt participia, et præsentis et futuri et exacti temporis, omnia significationem activam cum passiva forma jungentia. Quis in tali confusione analogiam esse credat? Et profecto ægre analogia patebit, cui triplex forma, activa, passiva et communis non unum verbum videtur diversis modis in-

(1) Cf. Curtius, *Gdzg.* 5, p 457, i. n.

(2) Nempe forsan inter 48 et 49 libri IX M. et N. editionis, ubi Muellerus magnam conjicit lacunam.

(3) B., p. 118; M. et N., VIII, 58 sq.

flexum, sed tria verba invicem opposita, ut in vetere grammatica apparent. At contra, qui ea affixo tantum pronomine inter se differre novit, et verbum commune præsertim cum Græcorum medio verbo plane concordare, ita ut inter activum et commune nihil nisi modica et usu trita intersit differentia, ille parum ad significationem attinere judicabit, utrum participia passivam formam, an activam, induant. Quapropter ego quidem eruditissimo nostro philologo (1) assentiri nequeo, ubi participia latina, quale est *cœnatus*, hujusque pauca similia, illegitima accommodatione in sensum activum traducta fuisse docet; suffixa enim syllaba *-ta-*, græce -το-, latine *-tu-*, non obstante sanscritici græcive sermonis consuetudine, primo et per se non passiva est, sed quodam modo communis, passiva autem videtur quod ex eo quod plerumque fit judicatur; nisi forte enormia omnia verborum communium participia haberi velis. Sed in investigatione philologica ne forma cum functione permisceatur, semper cavendum est. Ceterum, quam parvo communia ab activis discrimine distent, ipsis Romanis patuit; nam apud Gellium hæc legimus : « Juventius in comœdia : pallium, inquit, face uti splendeat, ne maculet; nonne hoc impendio venustius gratiusque est, quam si diceret, ne maculetur (2) ? » Quid interest, si potest alterutrum in sermone usurpari, prout venustius videtur? Illa autem Varro non attigit, nisi forte quæ infra de participiis leguntur illuc referenda sunt (3), quæ per transennam conspecta esse credas.

Ad derivationem pertinent etiam vocabula composita, in quibus multa occurrunt analogiæ contraria (4), quæ autem Varro non confutavit, cum de vocabulis formandis agatur. Et merito : non enim in nativa, sed in adulta jam lingua

(1) A. Hovelacque, *Gramm. Zende* (2e éd.). p. 105.

(2) *Noct Att.*, XVIII, 12.

(3) B., p. 156 ; M. et N., IX, 110.

(4) B., p. 119 ; M. et N., VIII. 61 sq.

versatur compositio. Indo-europæi scilicet sermones perpauca fortasse a primo parente composita vocabula acceperunt, sed aliquam tantum componendi vim, quæ in singulis plurifariam viguit. Ut componantur vocabula, natura sermonis efficit: varium vero quo componuntur genus, mare capax fortuitorum.

β) In inclinatione qua vocabula augentur, sive qua tolluntur ad comparativum et superlativum gradum adjectiva, nihilo magis reperitur analogia. Sunt enim quædam quæ tres habent gradus, ut *stultus*, *stultior*, *stultissimus*; alia, duos tantum, ut *pejor*, *pessimus*, aut *cæsius*, *cæsissimus*; alia unum, ut *luscus*, *mane* (1). Cui argumento Varro perpauca objicit, neque admodum idonea. Animadvertit enim, nullum in iis vocabulis gradum comparationis exsistere posse, ubi natura ipsa gradus esse non patitur; nullo modo igitur *luscior*, *luscissimus* in natura rerum esse, cum sit quivis luscus, aut non sit, inter duos autem luscos neuter minus aut magis luscus esse valeat; item non dici **manius* aut **vesperius*, quia in tempore magis et minus esse non potest, ante et post potest; et tamen hæ loquelæ *magis mane*, *magis vespere*, et in lingua latina exstant, et facile intelliguntur, et a Varrone ipso memorantur. Mirum est illum non vidisse, hæc vocabula *mane*, *vespere* substantiva nomina esse, non adjectiva, atque ideo non magis **vesperius* dici posse quam **dominior* aut **puerrimus*: ita ut analogiam potius confirmare valeat quod ibi contra analogiam dictum est. Porro, cur inter se *macer*, *macrior*, *macerrimus*, et *tener*, *tenerior*, *tenerrimus*, non congruant, cur e *pauper* efficiatur *pauperrimus*, licet in muliebri sexu non fiat **paupera*, cur nonnulla adjectiva aut duos aut unum tantum gradum habeant, cum non sit eadem causa atque in *luscus* (quod ex usus arbitrio pendere novimus), cur denique vocabulis *bonus*, *malus* alia respondeant, *melior*, *optimus*, et *pejor*, *pessimus*, Varro omnino silet; illa tamen,

(1) B., p. 122 sq., 145 sq.; M. et N., VIII, 75 sq., IX, 72 sq.

non adeo spinosa, pertentare operæ pretium erat. Utrum silerentur, an in amissis repeterentur partibus, ambiguum est. In *melior*, vero, et *pejor*, et *deterior*, horumque similibus, latere primum gradum vocabuli cujusdam inusitati, sagax ille explorator profecto observare debuit.

γ) In inclinatione qua vocabula minuuntur pariter tres gradus inveniuntur, ut *cista*, *cistula*, *cistella*, de quibus perpauca referuntur [1], neque memoratu digna, nam iterum atque iterum redeunt quæ jamdiu nota sunt.

δ) Tandem inclinationem quæ in casus fit adimus, in qua duo præcipua contra analogiam capita adversarii inveniunt : sunt enim vocabula quæ quibusdam casibus carent; sunt alia, quæ omnes habent, in quibus autem casus obliqui cum rectis non conveniunt. Ambo capita nobis breviter perlustranda sunt.

Imprimis occurrunt ea vocabula, quæ unum tantum casum habent, velut nomina litterarum indeclinabilia; alia, tres habent, ut *prædium*, *prædii*, *prædio*, et in plurali numero *prædia*, *prædiorum*, *prædiis*; alia, quatuor, ut *mel*, *mellis*, *melli*, *melle*, quod in plurali ad tres quoque contrahitur, *mella*, *mellum*, *mellibus*; alia, quinque, tanquam *Quintus*, *Quinti*, *Quinto*, *Quintum*, *Quinte*; alia denique, sex, nempe *unus*, *unius*, *uni*, *unum*, *une*, *uno* [2]. Videtur ibi Varro per jocum argumenta adversarii cujusdam imperiti retulisse, quæ ne minima quidem confutatione digna reputaverit. Quid enim aut rudius aut magis indigestum fingi potest illa enumeratione, ubi vocabula neutrius sexus tres casus tantum habere existimantur, cum haud secus atque cetera quinque habeant et forma quidem, non reipsa in unum consonent? ubi casus ablativus cum dativo commiscetur et in unum contrahitur, cum etiam paulo ante Varronis tempus, et nonnunquam in ipsis Plauti fabulis, ablativum

(1) B., p. 123 et 146; M. et N., VIII, 79, IX, 74.

(2) B., p. 119; M. et N., VIII, 63.

**prædiod* sonare debuisse constet [1]? quin imo, ubi videtur syllaba *e* vocativi casus in *Quinte*, cum syllaba *e* ablativi in *melle*, in comparationem induci? Nec satis est : occurrit etiam inclinatio pronominis, *unus*, quæ ab inclinatione vocabulorum, secundum ipsa præcepta analogiæ, prorsus secernenda est. Quidquid de singulis objectis Varro censuerit, nihil fere enuntiavit, præter ea quæ infra de indeclinabilibus animadvertit [2]. Nempe dicere solent nomina litterarum non inclinari. Merito non inclinantur; quid est enim nomen litteræ, nisi syllaba? Atqui syllaba non potest inclinari, aut alioqui sonus ejus immutatur, ipsaque tota deletur. Ceterum alia sunt quoque vocabula indeclinabilia præter nomina litterarum : itaque analogia ibi non omnino deficit. Quod ad declinabilia attinet quæ sibi similia non habent, nequaquam analogiæ obsunt; nam, cum sit analogia duarum rationum æqualitas [3], non potest, quod unicum est, recipere analogiam. Nec plura, sed inclinationes Varro procul dubio infra repetiit.

Argumentum, quale certe supra relatum est, si parum grave, imo fere ridiculum noster arbitratus est, haud miramur; non diffitendum tamen, in eo totam quæstionem inclinationis isosyllabicæ et perittosyllabicæ versari, quam ipsa recentior philologia solvere dubitat. Cur, in Græca lingua et Latina, magis vero in Latina, vocabula quæ in *-us* (ος) et *-a* (α) desinunt ad normam pronominum potissimum inclinata sunt? cur genitivus littera *-s* notatus, cur casus qui in *-bus* desinunt, in illis nominibus fere nunquam reperiuntur? Quæ nimis ardua analogetici callide eludebant, hoc posito, ne dissimilia inter se conferrentur, prorsus tamen effugere non valebant, cum duplices iis obviam venirent formæ, ut *familiæ* et *familias, filiis* et *filiabus*. Latinæ inclinationis ratio, alioqui satis cognita,

(1) Bücheler-Havet, *op. cit.*, p. 150

(2) B., p. 139; M. et N., IX, 51

(3) B., p. 181; M. et N., X, 82.

ad propositum nostrum minime attinet : hoc satis sit iterum ostendisse, veteres, quanquam sincere et attente omnia intuiti, ut quibus recta intuendi ratio deficeret, quantas sæpe præterierint difficultates, cum sæpe etiam reduvias curarent.

Quam diversa præterea sub luce nos veteresque spectemus analogiam, unum exemplum ostendet : cur, ait Varro, quæ vocabula ex Ægyptiis Pœnisve mutuamur nostro modo inclinamus? nam nativam flexionem ea retinere debuerunt (1). Rursus, quæ a nobis Græci mutuantur, cur vocabulis quinque tantum casus assignant, cum nos sex habeamus? In hoc versatur anomalia. Nos contra, si alienigenum verbum ad normam nostræ flexionis inflectimus, hoc vocamus analogiam. Differunt a veteribus nostræ nomenclaturæ, ita ut pristinos scriptores vix intelligere possimus, nisi parumper exciderint e mente quæ ipsi comperta habemus.

De defectivis vocabulis Varro recte observat, casus non, quia forte inusitati sint, ideo omnino deesse, nam jure exstat casus qui facto deletus est : sic genitivo *frugis* nominativus **frux* respondet, et nominativo *Diespiter*, obliqui casus **Diespitri*, **Diespitrem*, quanquam non sunt in usu (2). Nihil vero de vocabulo *Jupiter*, quod *Jov-* in casibus obliquis efficit : quod non leve, ut pro scientia Varronis, impedimentum erat, cum nobis etiam aliquid arcani habeat flexio *Jovis* cum Græca Διός comparata. Attamen Varro videre debuit, **Jous* in nominativo *Jovis* ponendum esse, et *Jupiter* igitur pro **Jous-pater* stare (3) ; nam item falso dicit nominativum *ovis* non *ovis* esse, sed **ous* postea corruptum (4). Similitudines ubicumque quærere, et consequentia principiis vi accommodare, si sponte non congruunt, omnium seculorum et præsertim scientiæ rudis modo et balbæ

(1) B., p. 120 ; M. et N., VIII, 65.

(2) B., p. 146 ; M. et N., IX, 75 sq.

(3) Sic judicat Gellius, *Noct. att*, V, 2, quanquam scribit *Jovis-pater*.

(4) B., p. 146 ; M. et N., IX, 76.

vitium est ; et, ut *nex necis*, ita videbatur formatum **ous ovis*; præter id quod vocabula qualia sunt *auceps*, *augurium* eorum opinioni magnopere favebant qui nominativum **aus* conjectura restituebant.

Ex eadem nimiæ assimulationis assidua cura oritur argumentum quo dicitur nominativos *strues*, *Hercules*, *homo* illegitimos esse, et **strus*, **Hercul*, **homen* sonare debere (1) : nam sic legendum censeo quod in omnibus editionibus **homon* scriptum est. Non est enim major analogia inter *hominis* et **homon* quam inter *hominis* et *homo*; et contra *nomen nominis* similitudine evocat **homen* (2) : quod aliter legitur librariis tribuendum arbitror. Hoc autem Varro non accipit, sed mira negligentia repellit; nam, ex illis formis nihil amplius colligi posse dicit, nisi analogiam inter rectum casum et obliquos ibi non exstare, eamdem vero inter casus obliquos manifeste apparere; tum prodeunt comparationes, aut capitis Philippi signo Alexandri impositi, aut partim laticlavi partim angusticlavi vestimenti, quæ profecto parum ad rem pertinent. Esto sane, dicat adversarius; sed cur in his exemplis inter rectum et obliquos casus similitudo deficiat, id in controversia versatur : quæ est hæc analogia, quæ huc illuc volitat, nusquam sibi constat? in aliqua parte esse analogiam parum est. Analogiæ gratia debebat Varro nominativum **Herculs* ponere, cujus in fine intercalaris, quo melius sonaret, littera adjecta fuerit; sed quod de **Herculs*, non item de **strus* et **homen* dici poterat : quare omnia incerta manent, nec nostris oculis adhuc multo magis perspicua, nedum veteres tam implicatos nodos solvere potuerint.

Nunc ad enormes casuum formas transeamus : in quibusdam vera, in multis speciosa, ut nos judicamus, inæqualitas versatur. Neque ubicumque analogia deficit Varro

(1) B., p. 147; M. et N., IX, 79.

(2) Sic lusitanica lingua nunc dicitur *homem*.

remedium affert; quanquam in plerisque saltem partibus proportionem labefactam restituere tentat.

1° Cur, veluti *lupus lupo* non dicimus *lepus* **lepo*[1]? Respondetur non similia esse vocabula, cum unum in vocando *lupe*, alterum *lepus*, efficiat. Sic autem iteratur semper eadem argumentandi via : cur hæc vocabula non similiter inflectuntur? quod non consimilia sunt; non consimilia autem esse, quid demonstrat? quod diverso modo inflectuntur. Et tamen Varro verum pæne attigit : hoc profecto videre non potuit, merum vocabulum, quod philologi vocant stirpem vocabuli sive thema, in altero esse *lup*$^{e}_{o}$-, in altero *lepor-*; quam proxime vero ad id appropinquavit, cum vocabula in vocativo casu conferenda censuit, quem ex mera stirpe constare certo scimus. Ceterum adjicit[2] duas esse similitudinum species, alteram omnino externam quæ ad superficiem tantum spectat et nos plerumque fallere solet, alteram quæ ad imas res penetrat, quam nos non nisi assidua attentaque pertractatione percipere licet et comperire : sic « neque magnetas lapides[3], inter se similes sint, necne, perspicere possis, nisi minutum extrinsecus prope apposueris ferrum, quod similes lapides similiter ducunt, dissimiliter dissimiles. » Eximium præceptum omnisque naturalis investigationis caput. Ergo *lupus* et *lepus* e fontibus quam diversissimis orta esse sensit antiquitas, si probare non potuit, itemque de ceteris extrinsecus tantum similibus : quod ad plane assequendum quid ei defuit, nisi variorum sermonum notitia et comparatio?

2° Cur *Hectorem* cum syllaba brevi, non *Hectōrem*, sicuti *victorem?* cur *paterfamilias* simul et *paterfamiliai* dicimus[4]? Qui Græcas litteras vel primis tantum labris

(1) B., p. 121 ; M. et N., VIII, 68.

(2) B., p. 151-152 ; M. et N., IX, 91 sq.

(3) B., p. 152 ; M. et N., IX, 94.

(4) B., p. 121 ; M. et N., VIII, 72-73.

attigit facile respondere debuit. *Hectŏrem* notham quamdam formam esse, cum Græca lingua *Hectŏra*, Latina *Hectōrem* postularet, procul dubio Varro vidit [1]; de genitivo vero *familias*, ubi *s* græcum servatur, vestigium antiquissimæ linguæ quæ Græcam simul et Latinam genuit, nihil amplius addidit: cum autem Latinam linguam Æolicamque dialectum congeneratas esse docuerit, non potuit eum hæc similitudo fugere : quam forsan omisit ne extra sermonem Latinum digrederetur, quanquam Oscus simul et Umbricus eadem littera *s* adjecta notatur genitivus.

3º Quæ objiciuntur de casibus qui duplicem formam habere videntur veteribus grammaticis difficilia molestaque fuerunt argumenta, necnon analogiæ infensa : quid enim in uno casu duplex forma vellet, nemo intelligebat. Nos ipsi, quam parum abest ut pariter, dissimili tantum ratione, in lubrico versemur! Nutat jam et in aliquot partibus semiruta jacet illa, quamvis recens et ab eruditissimo viro ædificata [2], inclinationis indo-europææ magnifica structura, nedum veteres aliquid firmi exstruere in volatilibus arenis valerent. Utraque ablativi forma *ovī* et *ove* illegitima est; cum, e nativa forma **ovejed*, *ovē* tantum deduci posset; sed ultima littera brevis facta est, cum in *patre* multisque similibus natura breve foret, aliasque *ē* longum, ad exemplar formæ dativi in *ī* versum est [3]. Magis ad normam confecta videntur *puppīs* et *puppēs*, quorum utrumque ad **puppejes* revocari potest; et tamen *puppīs* potius ad **puppies* reducitur, **puppies* autem enorme est et posterius natum et ad similitudinem aliorum (qualia sunt *dolor dolores*) a *puppis* derivatum, tanquam a πόλις ionicum πόλιες, contra quod apud ceteros Græcos recte sonat *πόλεϳες. Item de *mons montis*, cum in Latina lingua themata quæ in consonam desinebant eorum quæ desinebant in *i*- plerumque analogiam secuti

(1) Cf. B., p. 177; M. et N., X, 69 sq.

(2) Nempe Schleicheriana, *Compend.*4, p. 509 sq.

(3) Nisi forte *ovī* pro **oved* positum est, ut infra *puppies*. Cf. Bücheler-Havot, *Decl. lat.*, p. 156 sq.

sint [1]. In genitivo plurali grammatica comparativa *civitatum*, *parentum* tantum patitur, neque id nos fallit *civitatium, parentium* et summatim finalem syllabum *-ium* in omnibus participiis præsentis temporis, ad imitationem vocabulorum in quibus *i* natura stabat, tanquam *noctium*, in usum recepta esse [2]. Neque enim *boum* et *boverum* [3] vere duplex forma est : *boum* in natura vocabuli est; *boverum*, prava consuetudine inductum, *dies dierum*, horumque similia imitatur, sicut versa vice flectitur *moles molis* quod *moles *moler-is* (confer enim vocabulum *moles-tus*) inflecti debuit [4]. Nonne identidem apud ipsum Varronem legitur *vectigaliorum* [5] a *vectigalia*, ut *templa templorum*, quasi foret vocabulum in nominativo **vectigalium*, quod nunquam prodit? Nonne in ipso titulo operis Macrobii invenimus *Saturnaliorum*, quod gravissimis exemplis confirmatur [6], cum tamen dativus nunquam aliter atque *Saturnalibus* sonet? Hæc omnia, quam vocamus, analogia turbata sunt, quorum numerum haud ægre nobis augere liceret (nam multa agnovimus quæ olim ad normam composita videbantur), nisi hoc modo nobis destinatum esset, ut Varronem ducem pedetentim sequeremur. Ille tamen perparvis faculis tenebras illuminat, nec mirum, nam, quo melius quam ipsi Latini Latinam grammaticam disceremus, congeneratæ nobis linguæ auxilium attulerunt.

4° Pari causa, contrario effectu videmus in quibusdam formis, pristinæ puritatis testibus incorruptis, inæqualitates quæri imaginarias : rogatur scilicet cur in genitivo plurali *gens gentium*, *dens* vero *dentum* effingat [7]. Quod philologia comperit, nam in altero stirps est *gen-ti-*, in altero

(1) Cf. Corssen, *op. cit.*, passim, et imprimis, II, p. 689 sq.

(2) Corssen, *op. cit.*, ibid.

(3) B., p. 122; M. et N., VIII, 74.

(4) Cf. Corssen, *op. cit.*, I. p. 281, et II, p. 276 sq.

(5) *De Bibliothecis*, lib. II (B., p. 260).

(6) *Saturnaliorum* lib. I, cap. 14.

(7) B., p. 120; M. et N., VIII, 67.

dent-, forsan *(e)d-ent-*: hoc autem veteres suspicari non poterant. Labitur vix unum post Varronem seculum : jam similitudo effecit, ut, tanquam *gentium*, ita *dentium* in consuetudinem loquendi inductum sit. Tum profecto gaudent analogetici, et, quasi testimonium rectæ loquendi rationis, manifestam nostro saltem sensu inæqualitatem produnt. Adversarii vero controversiam in longum protrahere facile possunt, percontantes quid ea duplex forma velit *dentum*, *dentium* : quæ propositio in priorem partitionem cadit. Sic eodem semper revolvitur scientia veterum, quod imas radices analogiæ penetrare nequeunt, et ea ipsa quæ sagaciter odorati sunt probatione indigent.

5° Postremo quæritur (1), cur *mille denarium* dicatur, non *mille denariorum*; aut in summa cur aliquando, ac præsertim in numerando, genitivus pluralis cum *-um* finali potius quam genitivus cum *-orum* usurpetur. Nec facile poterant Romani grammatici has ambages resolvere, cum recentiores vix valeant. Hoc tamen scimus, priorem genitivum non, ut diu gratuito creditum est, posteriore contractione quadam coarctatum esse, sed utrumque nativum legitimumque esse, cum Græca lingua unum, ut ἵππων, Indica alterum, ut *áçvānam*, Bactriana vero ambos, ut *açpãm* et *açpanãm*, possideat; non quod Latinum *r* pro Indico et Bactriano *n* stare, contra omnes regulas contendam; hoc satis sit ostendere, etiam in antiquissima lingua, inter stirpem vocabuli et indicium genitivi pluralis consonam quamdam facillime insertam fuisse. At quemadmodum ii sese invicem suppleverint, ambigimus (2). Hunc Varro locum quasi per singulas semitas explorat (3), multaque profert, ad usum quidem linguæ pertinentia, ipsi autem quæstioni admodum aliena : nam magnopere laborat, ut significatio vocabuli cum ejus forma semper congruere constantique ratione conjungi videatur. Ego in Latina lingua utrumque

(1) B., p. 121 ; M. et N., VIII, 71.

(2) Cf. tamen Bücheler-Havet, *op. cit.*, p. 139 et 144.

(3) B., p. 148 sq.; M. et N., IX, 81 sq., præsertim 85-89.

genitivum, velut in Bactriana, diutissime concurrisse, facile crediderim, verbi gratia, *deūm* (vice *deōm*) et *deorum*; in priore autem *u* longum breve factum esse, quod in syllabis quibus vocabula desinunt frequentissime evenit, hunc ideo genitivum accusativi singularis prorsus formam induisse, et propterea in desuetudinem abiisse, quod alter ab altero dignosci non posset; eumdem tamen aliquando supervixisse, sive in precibus et cultu Deorum, ubi solent plerumque antiquæ loquelæ retineri, ut *Deum Consentum* a Varrone memoratum (1), sive in numerando, *mille sestertium*, *mille denarium*, cum vocabula, quo breviora sunt, eo magis ratiocinatoribus placere soleant, quippe qui barbara nonnunquam brevitatis gratia conficiant, nedum ea quæ rectus sermo præbuerit negligant, sive etiam apud poetas, quibus multum indulgetur.

Sic apud Varronem analogia in vocabulis definitur: quod, si paucis verbis colligere experiemur, inveniemus in singulis partibus summatim præceptum firmum permanere, nempe voluntariam esse, licet analogiam non repellat, inclinationem qua derivantur vocabula, necessariam, qua in casus flectuntur; quomodo autem agat illa necessitas, et necessaria sint signa rationum, cum in communi sermone plurima contingentia occurrant, id per singulas orationis partes feliciter deduci non potuit. In densa enim caligine progreditur, sæpe labitur, nonnunquam errat; sed ubicumque ingenii tantum vi atque acumine, non observatione multiformi et collatione linguarum, ad assequendum verum opus est, miro modo verum indagat, variorumque signorum, quibus rationes vocabulorum notantur, naturam prope intelligit.

III. Nomina. — In nominibus tanquam in vocabulis, genus sexusve, numerusque, et casus ordine intuendus est. Pauca tamen de nominibus animadvertenda, quod in ætate linguæ jam recentiori adhibita sunt, Varro non vidit.

(1) B., p. 121; M. et N., VIII, 71.

A. Et primum de sexu eadem in nominibus reprehenduntur quæ in vocabulis : quippe nonnulla nomina virilis sexus muliebrem formam induunt, quanquam e contrario non fit ut muliebria nomina tanquam virilia desinant, ut est *Perperna*, quod **Perpernus* dici oporteret [1]. Huic argumento, iterum etiam revocato [2], Varro nihil sane opponit, nisi quod jam antea dictum est, nomina quoad significationem non esse conferenda. Ejusmodi tamen nomina non vera nomina esse, sed mera vocabula tanquam cognomina primum usurpata atque ideo in sexum translata ejus qui cognomen recepit, profecto cernere debuit. Quod supra de vocabulis comperimus, nempe ab initio sexum ultima syllaba non notatum fuisse, non item de nominibus dici potest; nam ab illo tempore quo propria nomina cœperunt hominibus adhiberi, videtur usu receptum fuisse, ut virilia nomina virili syllaba *-us*, muliebria muliebri *-a* distinguerentur; sed parvi refert an natura muliebre sit vocabulum quod viro cognomen impositum sit : nam ex eo ipso, quod virum designat, virilis fit; et, quanquam vocabulum **perperna* (forsan *perna* deridiculi causa duplicatum), quid per se significaverit, ambigimus, alia nobis exempla in promptu sunt, ut *Sura*, *Caligula*, quæ admodum similia videntur. Secus, si muliebre nomen, ut *Anna Perenna*, inspicias, quod, et per se muliebre est, si *Perenna* id quod græce πόρνη valere existimes, et, etiamsi virile aut alterutrum sit, e sanscritico **Apna-purna-* (qui vel quæ gignit aquas) exortum [3], feminam tamen designans ipso jure muliebre fit. Haud alias in gallica lingua omnibusque ceteris in cognominibus contingit [4].

Porro nominibus duo tantum, non tres sunt sexus, quod

(1) B., p. 114; M. et N., VIII, 41.

(2) B., p. 136, M. et N., IX, 40-41.

(3) Cf. J. Baissac, *les Origines de la Religion* (Paris, Decaux 1877), I, p. 276-277. Fortasse etiam i. q. *Annus *Perennus*, i, e. circulus temporis perpetuus.

(4) Cf. Angerman, *die Römischen Männernamen in a*, in *Stud. zur gr. u. lat. Gram.*, V., p. 380 sq.

non adversus analogiam, sed contra ad normam purissimæ analogiæ receptum est [1], cum duo sexus tantum in hominibus natura exstent, neutrum autem genus rebus inanimis proprium sit. Verumtamen sunt nonnunquam nomina servorum utrique sexui communia; quod jure fit, nam res servus, non persona est, res mancipi (ut in XII Tabb. scriptum est), vel mancipium neutrius generis, et in familia servi utriusque sexus confunduntur [2]. Parum valet hæc juridica commentatio; nam servitium est juris gentium, non juris naturalis [3], nec debuit, quod contra naturam hominum receptum est, naturæ sermonis obstare; imo vero et in ipsis pecudibus sexus distingui solet, ut *equus*, *equa*. Hoc tantum voluit dicere Varro, ut fit in pecudibus, ubi *bovis* femina *vacca* appellatur, servorum virilia nomina plerumque muliebrem formam non habere, cum contra liberorum virorum nomina semper habeant, tanquam *Terentius*, *Terentia*. Alioquin sunt servorum nomina virilis formæ, servarum autem, muliebris, præter meretricia, quæ neutrum genus libentius accipiunt; et in hac sane appellatione latet, erga meretricem, et blanditia quædam et contemptio, ut quæ sit aliquod vile simul et venustum, deliciæ heri pretio emptæ. At, licet nomina in neutrum genus desinant, nihilominus muliebris sunt sexus, diciturque inæquali conjunctione *mea Planesium* [4]. Quem usus inhumanus abolere contendit, sexum natura vindicat.

B. De numero nominum apud Varronem non agitur, quia perraro fit ut nomen multitudinem recipiat, aut, si forte contingit, haud alia ibi sunt atque in vocabulis reprehendenda.

(1) B., p. 141-142; M. et N., IX, 60-62.

(2) B., p. 141, M. et N., IX, 59.

(3) § 1, I. *De jur. person*; l. 1, § 1, ff. *De his qui sui vel al. jur.*

(4) V. g. Plaut., *Curcul.*, I, 3, 2.

C. Ex quatuor, jam notis, inclinationibus, una, qua vocabula augentur, nominibus deest; duæ vero nobis deficiunt, quæ in parte scripti nunc deleta continebantur. Parvi ceterum refert, cum nomina perinde atque vocabula in casus inclinentur. Quod ad derivanda nomina attinet haud majoris momenti est.

1° Rogant, cur Romanorum liberti *Romanenses*, non *Romani*, a Faventia vero *Faventini*, a Reate *Reatini* liberti dicantur (1). Quod puerile argumentum Varro nusquam videtur repetiisse, contentus forsan eo quod in universum edixit præcepto, penes usum esse nominum formationem. Hic tamen usum non fortuito egisse, verisimile est; nam Reatinorum liberti ipso jure Reatini fiebant, quod ipsa manumissione jus Latinum adipiscebantur, quod libertis ubique competebat; at contra fieri poterat ut Romanus libertus non civis Romanus foret, sed, auxilio saltem prætoris, ac postea beneficio legis Juniæ vel Æliæ Sentiæ, Latinus tantum, quippe qui neque vindicta nec censu neque testamento, sed inter amicos solum aut alio quovis minus solenni modo manumissus fuisset (2). Nec mirum, si alium statum personæ aliis verbis usus loquendi notavit. Quod Varro noverat ac fortasse non tacuit.

2° *Athenæus* nomine dicitur rhetor, etsi non Atheniensis est, multaque nomina haud magis proprie adhibentur (3). His inanibus argutiis quid Varro responderit, parvi refert: quomodo enim unquam potuit quilibet grammaticus proprium nomen tanquam vocabulum aliquid per se significans judicare? aut quomodo hanc inæqualitatem, si ibi inæqualitas inest, ad ipsam naturam sermonis attinere putavit? Præter id, quod Ἀθήναιος tam bene *Minervæ sacratum* quam *Atheniensem* designare potuit. Sic in vetere scientia puerilia cum seriis continuo permiscentur.

(1) B., p. 124; M. et N., VIII, 83.

(2) *Gai. Inst.*, I, 16-17.

(3) B., p. 124; M. et N., VIII, 82.

IV. Pronomina. — Multum vacillat distinctio provocabulorum et pronominum, quorum inclinationes ceterum partim similia sunt magnaque et confusa inæqualitate conspicua. De qua tamen Varro, in libris qui exstant, non specialiter disseruit, sed passim tantum aliquid transeundo notavit : hic inquiritur, cur non, tanquam *hi qui* et *heis queis*, item **hibus quibus* dicatur (1); illic agnoscitur (quod profecto adversariis multum proficere debuit), in provocabulis et pronominibus tenuem modo et vix adumbratam versari analogiam (2). Nec plura. Scire tamen magnopere velimus, quid contra analogiam ibi dictum fuerit, non in universum de omnibus pronominibus, quæ partim similia habebant, sed peculiariter de iis quæ personalia vocamus, in quibus tot et tantæ occurrunt inæqualitates, ut nondum ad aliquam normam reduci potuerint. Magna certe debuit in his vocabulis versari contentio, ubi casus inter se minime concordant, *ego* scilicet fit in accusativo *me* et in plurali *nos*, pronomen tertiæ personæ nominativo caret, imo etiam nobis apparent formæ turbatæ et enormes quas veteres grammatici tanquam admodum analogicas procul dubio probabant, ut genitivus *ipsejus*, quod esse deberet **ejuspse*. Multa igitur in ea re reprehendi poterant; quæ analogetici repellebant, cum dicerent analogiam non nisi inter similia quærendam, sic pronomina non nisi inter se conferenda, hactenus autem pronomina similitudinem habere et ad normam naturæ confecta esse. Quemadmodum vero natura exorta esse pronomina ostenderint, ex uno saltem exemplo judicare licet, nobis a Gellio tradito (3) et e *Grammaticis Commentariis* Pub. Nigidii excerpto, qui eodem fere tempore quo Varro vixit (4), analogeticus quidem Varrone pervicacior, sed in origine vocabulorum indaganda multo

(1) B., p. 122; M. et N., VIII, 72. — Quanquam legitur *hibus* vel *iibus* in *Curcul.*, 514.

(2) B., p. 164; M. et N., X, 19.

(3) *Noct. Att.*, X, 4.

(4) Cf. *Noct. Att.* XIX, 14.

minus probandus. Cujus hæc verba sunt : « *Vos* cum dicimus, motu quodam oris conveniente cum ipsius verbi demonstratione utimur, et labias sensim primores emovemus, ac spiritum atque animam porro versum et ad eos quibuscum sermocinamur intendimus. At contra, cum dicimus *nos*, neque profuso intentoque flatu vocis, neque projectis labris pronuntiamus, sed et spiritum et labias quasi intra nosmet ipsos coercemus... Eadem est in Græcis quoque vocibus ratio quam esse in nostris animadvertimus. » Hæc ingeniose ac temere conjecta totius veterum etymologiæ, in breve coactæ, fidelem nobis imaginem præbere videntur.

Nil amplius de analogia in pronominibus antiqua scripta tradunt; itaque inclinationes vocabulorum et nominum cum his concluduntur.

§ II. — De partibus orationis quæ in tempora inclinantur.

Ut servetur præceptum quo docemur analogiam non nisi inter similia quærendam, et adversarii aut ignari aut malevoli confundantur, qui formas verborum inter se conferre solent, inter quas nulla ratio esse potest, necesse est ut in ipsis principiis duæ formarum series penitus secernantur, quæ nihil fere commune habent, quarum altera infecta, altera perfecta dicta est [1]. Prioris generis sunt *disco*, *discebam*, *discam*; posterioris vero, *didici*, *didiceram*, *didicero*; item *lego*, *legebam*, *legam*, et *lēgi*, *lēgeram*, *lēgero* : sunt alterutrius generis ternæ formæ inter se similes, utriusque autem dissimiles : *lego* igitur et *legam*, *lēgi* et *lēgero* conferre licet, *lego* et *lēgi*, non licet. Errant qui aliter collationem faciunt.

Recte sapit Varro, quatenus certe veteres inclinationem verborum intelligere potuerunt; nam quemadmodum prior series cum posteriore congruat, nempe qua ratione perfec-

(1) B, p. 152; M. et N, IX, 96.

tum tempus e stirpe verbi oriatur, sive duplicatione manifesta, ut in *didici*, sive duplicatione recondita, ut in *lēgi* (et quidem hoc quoque nobis ambiguum est, utrum **leligi*, **leigi*, *lēgi*, an **leligi*, **lelgi*, *lēgi*, an etiam **lelēgi* lapsaque duplicatione *lēgi*, poni debeatur [1]), seu denique auxilio verbi *sum* postpositi, ut in *paravi, colui*, multisque aliis, grammaticos antiquos nescivisse, omnibus liquet [2]. Ergo non poterant melius veram naturam verbi perscrutari, quam si duas series dissimiles formarum inter se similium ponerent : sic analogiam in formatione perfecti non versari confitebantur, quod ceteræ analogiæ verbi non officiebat, cum in singulis temporibus sive perfectis sive infectis analogia reperiretur. Haud aliter fere a recentioribus philologis [3] tum perfecti temporis tum præsentis series distinguitur.

Vix amplius vero procedunt Varronianæ speculationes, sive quod ad naturam verbi propius accedere non potuit, sive potius quod quasi disjecti tantum membra scriptoris in ejus libris habemus. De temporibus pauca dicuntur; de vocibus vel generibus et activi passivique verbi convenientia, paucissima; de personis fere nihil; modi omnino silentur. Neque eodem stilo scripta credas quæ de vocabulis tam exacte et diligenter excogitata sunt, et quæ de verbis levissime delibata. At forsan etiam inclinationem verborum analogiam manifestius præ se ferre non immerito censuit quam ea quæ in vocabulis servatur.

I. Tempora — Hac in parte maxima verbi

α) Primum objiciunt adversarii præcipuæ syllabæ frequentissimam mutationem, ut fit in *pungo, pupugi* [4],

(1) Cf. imprimis : Schleicher. *Cpd*4., p. 726 ; Scherer, *Zur Geschichte der Deutschen Sprache*, p. 13 ; Corssen, *op. cit.*, I, p. 561 sq., et II, p. 579 i. n.

(2) Præter id quod illæ perfecti temporis formæ, ubi *s* suffixum apparet quasi *finxi* (= **fing-si*), fortasse reipsa non cum perfecto, sed cum altero exacto, quod Græci ἀόριστον vocant, tempore congruunt.

(3) *Cpd*4. p. 716 sq. et 747 sq.; Curtius, *Verb*2., I, p. 142 sq et II, p. 138 sq.

(4) B., p. 153 ; M. et N., IX, 99.

quam contra analogiam contingere dicunt, cum aut in omnibus temporibus aut in nullo locum obtinere debeat. Quid valeat istiusmodi reprehensio nos difficile percipere possumus; quippe, si syllaba in omnibus temporibus immutaretur, nulla profecto forma superesset, ex qua illam immutatam fuisse judicaremus. Sin vero, quod verisimilius est, hoc reprehendunt, eamdem mutationem non in omnibus verbis fieri, rem acu tetigere; cur enim a *pungo pupugi*, a *spondeo spopondi* deflexum esset, grammatici expedire non valebant. Quæ apud Varronem brevitate summa et perobscura exponuntur simul et amoventur, ubi ambæ series temporum inter se ne permisceantur iterum prohibet, additque, si formæ infecti temporis separatim et formæ perfecti inspiciantur, analogiam in illis manifestam fieri, cum in infecto tempore nunquam, in perfecto semper syllaba mutetur. Atque identidem, verbum *sum*, quod inæqualissimum, imo admodum informe videtur, si in duas partes resolvas, apparet duplex series, utraque ad normam pulcherrime exstructa, hinc *sum* (quod pro **esum* stare Varro recte vidit), *eram*, *ero*, illinc *fui*, *fueram*, *fuero*; quod satis est ut analogia servetur (1). Esto. Sed pertinaci adversario, roganti quæ inter *sum*, *eram* et *lego*, *legebam* analogia versaretur, quid Varro respondisset? quod jam apud eum invenimus, nempe, quod unicum sit, non recipere analogiam ?

Nimis exigua cum sit ea defensio, age tamen, probetur, modo quæ, quibus positis, sint consequentia Varro recte observet. At, si perfectum tempus cum infecto nihil commune habere, et arbitrario modo et quasi fortuito informari nobis placuit, ita ut *sum*, *fui* vel *ferio*, *percussi* in natura sermonis esse existimemus, cur postea, ut ex infra inductis exemplis manifestum fiet, ratio quædam analogiæ inter infectum et perfectum tempus quæritur? Si quid valet defensio contra ea quæ de inæqualitate infecti perfectique

(1) B., ibid.; M. et N., IX, 100.

reprehenduntur, contra omnia valet; sin secus, omnino nihil valet. Quare igitur varias posthac excusationes Varro attulerit, prima specie non perspicue satis apparet.

Sed non ex prima specie talis vir æstimandus, cujus si opiniones attente perpendas, quanquam tenui tantum fragi-ique filo conjunctas, consentaneas tamen invenies. Memento enim Varronem docuisse, analogiam in sermone, qualis natura præbetur, necessariam quidem esse, in cetera vero parte sermonis quoque versari posse, si eam voluntas hominum et consuetudo induxerit; quin etiam sermonem quamvis voluntarium rectiorem esse si ad normam analogiæ compositus sit. Itaque, cum sit infectum a perfecto tempore natura absimile, neque in iis debeat exposci naturalis ac necessaria analogia, potuit tamen passim voluntaria admitti; neque peccavit Varro, cum hinc analogiam in universum in illa parte orationis non reperiendam censuerit, illinc quam maxime in singulis exemplis analogiam tueri contenderit. Quod ad experiendum nunc transeamus.

β) Quærunt, cur *pluit* item in infecto et in perfecto tempore dicatur. Recte tamen intuenti apparet, in infecto tempore *u* breve esse, in perfecto, productum, ita ut inter *plŭit* et *plūit* eadem sit ratio quam inter *lĕgit* et *lēgit* (1). Maximi momenti est illa de vetere prosodia commentatio historica; nam paulo post *u* longum, quia vocalis sequebatur, breve factum est, neque ullum inter præsens et perfectum tempus exstitit discrimen. Eodem pacto scimus, ante quam *fŭi*, **fouvi*, **fūvi* et **fūi* dictum fuisse, quod grammatica comparativa confirmavit. Sed hoc miramur, Romanos unquam dixisse *rūta cæsa* cum *u* producto (2), nam novissimæ philologorum investigationes nos indubitate docuerunt, in informando nomine verbali, suffixa syllaba *-to-*, radicem ad brevissimam et adstrictissimam formam semper contrahi : ita *rŭtum* ad similitudinem perfecti temporis **rūvi*

(1) B., p. 154; M. et N., IX, 104

(2) B., M et N, ibidem

sive *rūi* productum fuisse necesse est, perinde atque postea aliud, nec minus enorme participium confectum est, nempe *ruitum* : quæ igitur forma ad fulciendam analogiam a Varrone traditur, perturbatam nos merito et corruptam existimamus.

γ) Item in formatione perfecti temporis, *dolo dolavi* cum *colo colui* non congruit (1). At inter hæc verba nulla est similitudo nisi speciosa, quæ, si propius conspicias, confestim evanescit; jam enim in infecti temporis secunda persona dissimilia fiunt, cum dicatur *dolas* et *colis*. Simili ratione paria videntur et disparia sunt, exempli gratia, *meo* et *neo*, quod ex altero *meas*, ex altero *nes* deflexum est. Nec pluribus verbis opus est, cum jam in vocabulis Varro demonstraverit, non ex una tantum forma, sed ex omni flexione similitudinem verborum æstimandam esse (2). Esto sane; sed enim quid analogia responderit, si forte, non *colo*, quod manifeste diversæ inclinationis legem accipit, sed *seco* oppositum fuerit, quod in secunda persona *secas*, in tertia *secat*, tanquam *dolas*, *dolat*, in perfecto vero tempore *secui*, velut *colui*, inæqualiter habet? Sic semper ex aliqua parte analogia claudicat. Argumenta autem quibus vehementissime in eam invehi poterant, aut adversarii non viderunt, aut Varro in hoc certe libro prætermisit.

δ) Hoc porro reprehendunt, in quibusdam verbis quædam tempora deficere, in hoc enim infectum, ut in *memini*, in illo perfectum, ut in *fio*, tempus non inveniri, atque ideo in tota inclinatione non esse analogiam (3). Sed frustra reprehendunt, cum jam apud vocabula notatum sit, fieri posse, ut forma quævis, ad grammaticæ normam composita, in sermone exstet, et tamen non sit usitata. Omnia in sermone æqualia esse lex analogiæ jubet, non omnia pariter in quotidianam loquendi consuetudinem adscisci.

(1) B., p. 155; M. et N., IX, 108 sq.

(2) V. supra, cap. III, § III.

(3) B., p. 154; M. et N., IX, 103

ε) Dicunt denique inter activa tempora passivaque nullam versari analogiam ; quippe in activo verbo reperiri *amo, amabo, amavi*, in passivo autem *amor, amabor, amatus sum;* itaque hanc formam cum duobus verbis conjunctis inclinari, cum sit eadem in activo simplex (1). Qui hoc dicunt, non animadvertunt, sic rursus ambas series temporum commisceri : quod si in utroque verbo infecta tantum tempora conferant, nempe *amo, amabam, amabo,* et *amor, amabar, amabor,* non erit infitianda analogia. Ex quo nobis facilis transitus patet ad distinctionem vocum sive generum.

II. Voces. — Multā ibi ambigua et ardua veteres experiri debuisse, jam antea de derivandis participiis animadvertimus, cum verba activa, passivaque et communia multum differre arbitrarentur, aliaque ab aliis quasi abhorrere, quæ contra parum, quoad significationem, in cunabulis linguæ dissentiebant et arctissimo vinculo junguntur. Attamen vox media, qualis in Græco sermone usurpatur, grammaticos admonere debuit, quæ vel passivam vel plerumque activam significationem recipit ; nisi forte Græcum Latinumque sermonem, in hac certe parte orationis, omnino comparare omiserunt, quod vix aliquis credere possit. Sed rursus in errorem eos inducebant passiva Latina, quæ activis utique fere opponuntur : utique igitur id fieri debere putabant, et inquirebant cur, videlicet, *sacrufico* idem significaret quod *sacruficor,* cur *soleo* in perfecto tempore *solitus sum* haberet, quasi in infecto foret **soleor,* cur *lavo* et activam posset et passivam recipere significationem (2). Quibus Varro assentiri cogitur, quantumque res sinit idoneas excusationes sibi parare : nempe non debent aliquot loquelæ, perraræ et usu tritæ, analogiæ detrimento esse ; imo Plautum reprehendit quod eodem loco verbum *lavo* in utroque sensu adhibet. Nonne vidit in hac mutatione verbi

(1) B., p. 152 ; M. et N., IX, 97.

(2) B., p. 154 sq.; M. et N., IX, 105-107.

salem inusitatum latere, jocumque, si ad rigida grammaticæ præcepta flectatur, extemplo frigidiorem fieri? Ipse Gellius in ea re subtilior elegantiarum arbiter nobis visus est quam Varro (1): grammatici scientia litterati judicio paululum offecit.

III. Personæ. — Quod ad personas verborum attinet, unum hoc reprehendunt adversarii, non omnia verba vel omnia verborum tempora in easdem personas inclinari: quod, aut de verbis impersonalibus dici potest, ut *pluit*, quanquam illa Varro non memorat, aut de modis qui non eumdem numerum personarum, atque indicativus aut subjunctivus, accipiunt, de infinitivo scilicet, in quo nulla, de imperativo, in quo duæ tantum personæ distinguuntur (2). Sed quid inde? natura non omnia animalia similia genuit; item in loquendo non omnia plano pede procedunt: cum nemo sibimet ipsi aliquid voce imperare soleat, haud secus ad naturæ normam formatur imperativus cum duabus personis, atque indicativus cum triplici flexione (Varro autem ex tribus imperativum, ex novenis indicativum constare dicit, quia tum in imperativo, cum *lege* et *legito*, etiam *legat* connumerat, quod est modi subjunctivi, tum tres personas indicativi in singulis tribus temporibus, præsente, perfecto et futuro, simul ponit). Ita naturalem esse personarum inclinationem constat.

Hæc de verbis secundum analogiam inclinandis apud Varronem invenimus; hæc duntaxat nobis tempus edax non invidit: quæ utinam, trunca licet et obscura, recte nobis interpretari datum sit!

§ III. — De partibus orationis quæ neutro inclinantur.

Partes conjungendæ orationis apud Varronem plane omittuntur. Neque immerito. Nam cum in inclinationibus tantum per casus et tempora necessaria sit et naturalis

(1) V. supra, cap. IV, § I, C, α.

(2) B., p. 153; M. et N., IX, 101 sq.

analogia, similitudines in illis partibus orationis quærere quæ neque casus neque tempora recipiunt, vana foret et irrita mentis exercitatio. Neque nobis, naturam sermonis apud veteres indagantibus, quidquam proficeret scire quæ pro vel contra analogiam in verbis minimi ponderis edisseruerint.

§ IV. — De partibus orationis quæ utroque inclinantur.

Partes adminiculandæ orationis, ut supra dictum est [1], sive adverbia sunt, sive participia. Hæc vero, cum et vocabulorum simul et verborum naturam induant, duplicique analogiæ obtemperare debeant, nihil adeo novi, nihil peculiare habent, ut singillatim intuenda sint; quæ ceterum jam inter vocabula numerata sunt [2]. Item de adverbiis, quæ inter casus vocabulorum nobis occurrere potuerint [3] (nam adverbium *docte* nihil aliud esse videtur nisi forma quædam ablativi, scilicet **doctēd*, quod tamen ægre noster indagare valebat), alias vero parvi ad cognitionem universi sermonis intersunt.

Itaque, quæ de analogia in singulis partibus orationis persequenda Varro senserit, nunc plane compertum habemus; quæ, quanquam non ad sermonem humanum, sed ad Latinam tantum linguam spectant, necnon longiore interdum commentatione indiguerunt, tamen extra propositum nostrum relinquere nobis non licuit. Parum enim valent de sermone incertæ confusæque speculationes, quæ in singulis partibus orationis grammatice approbari non possint; ac rursus parva laude foret dignus grammaticus, qui de una lingua a se comperta forte documenta non ad naturam universi sermonis referre et adsimulare philosophica quadam commentatione contenderet.

(1) In procemio hujusce capitis.

(2) Supra, § I, C, α.

(3) Cf. Bücheler-Havet, p. 154.

CAPUT QUINTUM.

De grammaticæ apud Varronem et philosophiæ convenientia.

Nunc igitur philosophus prodeat, quæque explorando comperit grammaticus, ordine et ratione colligat. Quid de natura et origine universi sermonis Varro senserit, quam brevissimis nostræque emendatiori scientiæ quam maxime accommodatis verbis, exponere contendamus, quo melius appareat sententiarum ejus universus ordo, et quam prope ad nos sæpius accedat, quam longe interdum a nobis digrediatur, facilius dignosci possit.

Non injuste Varro Cleanthis, inter philosophos, patrocinium sibi vindicavit, quem, ut Stoicæ disciplinæ lucem et columen, ad cœlum extulit antiquitas. Hoc enim Stoicæ scholæ proprium bonum fuit, præter cetera æterna laude condigna, grammaticam quasi in regiones philosophiæ deduxisse, ut invicem coirent mutuamque sibi præstarent opem. Antehac, non singulas orationis partes, quales grammatica pandit, sed sermonem in universum, sine respectu ad formas, collatum, aut aliquot certe e sermone doctorum linguaque limatissima excerptas loquelas, philosophi intuebantur; in quibus, tanquam in aqua stagni immota et pellucida, imaginem rerum spectabant; aquam autem e vivis tremulisque sermonis vulgaris fontibus non hauserant. qui ipsa mobilitate mobilem mentem hominum fidelius

reddunt. Id Stoici effecerunt : hinc immota præcepta recte loquendi, illinc populi consuetudinem diligenter servaverunt, utrique auctoritatem certis finibus assignare conati; grammaticaque simul et philosophia adjuvante arcana sermonis aggressi, si prorsus penetrare profecto non potuerunt, tamen ad verum propius quam ceteri veteres philosophi, necnon ipse Aristoteles, accessisse, teste Varrone, videntur. Quorum doctrinæ summa hæc est : φύσει μέν ἐστιν ὁ λόγος, ἡ δὲ λέξις θέσει ἐστίν.

I. Cum sermonem natura exstare Stoici docuerint, utrum naturam eodem sensu atque Epicurus intellexerint, an aliquid proprii subdiderint, quod verisimilius est, ambigimus; nam obscurissimis testimoniis recta Stoicorum de sermone disciplina nobis tradita est [1]. Res utcumque se habet, sententiam Varronis magis ad Epicuri et Lucretii disciplinam pertinere, jam comperimus. Natura sermo exstat, id est vi quadam naturali ac necessaria, ex qua oritur et incrementum accipit, haud secus atque arboribus frondes et flores, animalibus membra partusque, ipsisque hominibus sensus et ingenii variæ facultates innascuntur [2]. Non summus quidam nomenclator rebus propria nomina imposuit, a ceteris hominibus servili docilitate accepta :

> Cogere item plures unus victorque domare
> Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent [3].

Non jurato quasi pacto homines inter se convenerunt, ita ut communi consensu huic rei hoc nomen, illud illi ordinatim imponeretur : quod postea forsan, Varronis sententia, contigit [4], in prima vero linguarum pueritia evenire non potuit, cum quisque sibi natura datam facul-

(1) Docebant enim, τὸν ὀρθὸν λόγον natura dari, τὰ ὀνόματα vero plerumque consuetudine rebus imponi (Lersch, *op. cit.*, p. 45-47). Quibus autem signis illam τὴν τῶν ὀνομάτων ὀρθότητα, dignoscerent, nos penitus ignoramus.

(2) Supra, cap. III, § I.

(3) *De Nat. Rer.*, V, 1027 sq., 1049.

(4) M. et N., VIII, 21.

tatem loquendi balbo adhuc ore pro semet ipso experiretur, sibique sermonem suo ingenio et suis necessitatibus accommodatum pararet. Non a numine quodam aut ab homine sermo est inventus : e pectore cujusque hominis sponte prosiluit. Homo est, qui fatur; cui desit fandi potestas, vix ille homo vere dici possit.

II. Hæc primum posita nos amplius protraximus. Scimus enim, non, nisi prima specie, sermonem quemque e vocabulis et verbis constare, vocabula et verba, scilicet, e quibusdam stirpibus exorta esse, quæ per se neque vocabula neque verba fuerunt, ipsasque stirpes e radicibus aut syllabis singulis, in quibus latet priorum hominum sermo horridus et informis. Quam, inter syllabam quamvis et rem syllaba significatam, arcanam similitudinem mens priorum hominum perceperit, nos, a pristina barbarie procul amoti, profecto suspicari jamdiu non possumus; similitudinem tamen quamdam exstitisse et nativo instinctu correptam fuisse, ipsiusque similitudinis gratia alias radices aliis præstitisse, alias aliis cessisse et in perpetuum evanuisse, nobis certe dubium non est. Sed veteres grammatici nihil ultra vocabulum spectabant, quod ex arbitrio hominum et consuetudine communi prorsus pendere videtur : consuetudo enim sola hæc verba delet, illa sibi adrogat, illa mutat ac renovat. Nil mirum igitur, si pleraque verba linguæ, λέξιν ἢ τὰ ὀνόματα, θέσει εἶναι, vel in consuetudine, συνηθείᾳ, versari, docuerunt [1]. Sicut in naturalibus quæstionibus indagandis tam alte processerunt veteres, quam quod potuit ingenium solum et memoria assequi, oculique omni auxilio externo, nempe vitreis lenticulis quibus res aut minutissimæ millies amplificantur aut longinquissimæ ad manum videntur haberi, ceterisque recentissimæ scientiæ instrumentis prorsus destituti; sic in naturali scientia sermonis, quæ, nisi conferrentur inter se plurimi sermones et simili-

(1) Multo enim plura sunt in sermone derivata vocabula quam nativa, ipsaque nativa philologos persæpe fugiebant.

tudines sedulo colligerentur, comperiri non poterant, veteres non suspicati sunt : quapropter non culpandi sunt, sed potius laudandi, quod, tam rudi instrumento usi, tam pulchrum in nonnullis partibus exstruxerunt opus.

Quatenus igitur ad stirpes radicemque retro devolvere omittas, recte dicas vocem quamvis consuetudine tantum inductam et voluntate hominum creatam fuisse. Neque alio profecto sensu hodie etiam doctissimus philologus, qui sermonem humanum increscere et vivere maxime idoneis exemplis comprobavit, hæc verba scripsisse videtur : « Quodcumque vocabulum [1], *a majoribus nostris traditum*, signum est ex arbitrio et consensu humano pendens : tum ex arbitrio hominum, nam potuerat quodvis aliud, inter tot millia verborum quibus homines utuntur, imo millies millia quibus uti possint, eidem rei imponi; tum e consensu, nam ex ea ipsa causa ab infante usurpatur, quod in illo cœtu hominum, in quo infans forte natus est, jamdiu est in usu. Θέσει exsistit vocabulum, non φύσει, si φύσις certe ita interpretanda sit, ut, sive in rerum, sive in hominum natura, ad creandum istud vocabulum vis aliqua nos necessario impulerit. » Itaque posteriorem Stoicorum et Varronis sententiam, ὅτι γὰρ τὰ ὀνόματα θέσει ἐστί, modo radicum notitiam tollas, non poteris admodum non probare.

III. Attamen, si sermo naturalis est, verba autem, ex quibus sermo constat, nihil naturale habent, inquiritur posthac, quid in sermone naturale sit. Non verba nativa, quæ consuetudo dicendi, cum sit in motu, persæpe aut delet aut mutat. Nihilo magis verba derivata : quomodo enim in secundariis, quæ in principalibus non versatur, servari possit æqualitas? Fortuito nasci vocabula quæque, veteres credere debebant, quod jam antea agnovimus; nam, si verbum quodvis ex arbitrio suo possit conficere homi-

(2) W. D. Whitney, *la Vie du Langage*. (Paris, G. Baillière, 1877, *Bibl. scient. internat.*), p. 15.

num voluntas, eodem pacto, sine lege, e verbis antea confectis alia deflectere, æquo, vel etiam majore jure, humanæ potestati permissum est. Sed tamen, in ipsis partibus ubi omnis agendi licentia hominibus patet, æquo et bono, scilicet rationi, nihilominus obtemperare debent, ac persæpe obtemperant : inde fit ut etiam in verbis derivandis inveniatur quædam voluntaria proportio : quæ, si observetur, probanda est; sin secus, non propterea infitianda vera et naturalis analogia, quæ eas tantum partes orationis natura ipsa datas regere et cohibere solet. Ubi constans proportio, ibi natura.

Cum vero neque in verbis formandis neque in inclinationibus quibus verba derivantur, reperiatur hæc proportio constans, unum restat (si sermo natura datur), ut in inclinationibus internis, quibus designantur rationes diversæ verborum inter se conjunctorum, nempe quibus casus et tempora distinguuntur, jaceat et latitet. Sic summum omnis sermonis scientiæ punctum grammatica Varronis, Stoicorum philosophia adjuvante, attigit. Quid enim inde sequatur, nemo non videt : veram naturam sermonis et originem linguarum, utrum congeneratæ sint, necne, non in verbis quærendam, sed in flexionibus casuum et temporum, non in vocabulorum indice, sed in accurata perpensaque grammatica. Nos non aliter judicamus, non alia via etymologices inania somnia effugimus. Quid in sermone humano fugax et mobile, quid stabile et immotum sit, quanquam ab initio distinctio quæstionum nimis rigida ab eo instituta est, et in singulis partibus nonnunquam etiam erravit, Varro recte prævidit et summatim exposuit. At enim puerili nimis studio defendendæ analogiæ sæpe incubuit; imo aliquando conjecturis suis quam veritati accommodatiora præcepit. Fateor. Quid denique refert, si primus analogiam sub vera luce disposuit, si ex sterili jamdudum controversia prima fecundæ illius disciplinæ semina oriuntur, qua, multarum linguarum addita cognitione, tota recentiorum philologia inniti debuit?

Ne tamen Stoicam disciplinam scientiæ nostræ plus æquo aptare videamur, neve rursus Varro parum sibi consensisse credatur, cum signa rerum ab hominibus reperiri, signa contra rationum, quibus verba junguntur, natura gigni docuerit, hoc præcipue animadvertendum est, signa inclinationum, auctore Varrone, non magis quam ipsa vocabula, natura præstari. Hæc enim quomodo singula ille ad naturam sermonis referre poterat, cui suffixarum syllabarum origo et pristina significatio non innotuerat, quam ipsi nos hodie vix suspicari incepimus? Nos, unamquamque suffixam syllabam, perinde atque perfectum vocabulum, e pristina quadam radice exortam esse arbitramur : capite quasi deminuta et humillimis accommodata muneribus, tantum, nostro judicio, valet quantum ipsa radix, cujus attritam confusamque effigiem retinet : vocabulo quovis plerumque purior, quod in secula persæpe vocabulum immutatum est multaque illegitima incrementa accepit, at suffixa contra syllaba semper aliqua nota insignis cognituque facilis permanere solet. Veteres autem, qui omnia ad normam strictæ cujusdam analogiæ emetiebantur, alia esse in Latina lingua, alia in Græca, alia in Syriaca signa inclinationum cernebant, imo etiam in ipso Latino sermone eumdem casum vel idem tempus diversis modis informari, neque inclinationum magis quam vocabulorum veram naturam assequi valebant. Cum igitur in inclinatione majorem jacere partem sermonis docerent, cum nos in grammaticis flexionibus sermonem fere totum versari prædicamus, verbo tantum hæc unum sonant, reapse prorsus discrepant. Quomodo demum eorum sententia interpretanda sit, quæramus.

IV. Verba singula in sermone fortuita esse et contingentia comperimus; sed, ut quæ rerum imagines sint et naturam rerum quam maxime imitari contendant, inter se certis rationibus conjungi verba necesse est, quæ rationes variis in casus temporaque inclinationibus significantur. Sin igitur rerum rationes numeris exprimuntur, nume-

rosque inter se proportione quadam immota, quæ æqualitate rationum constituitur, concinere mathematici ostenderunt, haud absimili modo in ipsis vocibus proportionem aliquam versari manifestum est qua in numerum inclinentur : non equidem ut in omnibus verbis eadem ratio semper eadem suffixa syllaba notetur, quod nec fieri videmus neque fieri posse compertum habemus (nam, ut voluntate hominum conficta, prorsus inter se dissimilia esse possunt vocabula, neque inter res dissimiles proportio aliqua in ipsa natura servatur), sed ut verba similia tantum simili modo in casus et tempora inclinentur : quod est omnis analogiæ et principium et finis.

Istæc abstrusiora quorsum eveniant aut a quo remoto fonte hausta sint, nemo, si modo Varronianas formulas inspexerit, ubi vocabulorum formæ tanquam numeri pertractantur, agnoscere procul dubio recusaturus est : sicut enim numeros rebus præesse Pythagoras docuit, ita casus temporaque, aut in summa rationes verborum, ipsis verbis præstare Varro existimat; imo, ut numero totius mundi ædificium inniti Pythagoras, sic inclinationi totam orationis structuram incumbere Varroniana philosophia comperit. Occurrit animo magna quædam imago sermonis, ad instar rerum naturæ, cujus sermo humanus effigies et simulacrum est, ad legem numerorum ordinati : quidquid in natura contingit, res scilicet quæquæ sunt, quidquid in sermone, nempe verba quoquo modo orta sunt, certis utique rationibus continetur, tum res numeris, tum verba analogia, quæ in verbis idem est quod in rebus numerorum proportio [1]. Non equidem quod Varronem credam Pythagoræ philosophiæ præsertim incubuisse, ejusque reconditam et quasi mysticam de mundi origine disciplinam aut probavisse aut in naturam sermonis humani omnino transtulisse : cujus scholæ scripta forsan tam parum legit quam ipsis nobis legere datum est, aut, si legit, profecto nebulosiora judi-

(1) Supra, cap. III, § IV et V.

cavit, ut qui non Græcus, sed Romanus philosophus, exactioris ingenii quam altioris, et Ciceronis amicus, scientiæque auctor apertæ ac pellucidæ. Hoc tantum arbitror, Pythagoræ doctrinam, cujus insigne nomen ipse in ipso etymologiæ suæ principio commemorat [1], Varroni innotuisse, grammaticique nostri acutæ menti placuisse, quatenus, brevibus ac vividis figuris, ordinem in tota rerum natura, et in iis etiam quæ prima specie fortuita videantur miram proportionem versari significabat. Quapropter numerorum rationes in grammaticam, primus forsitan, induxit, verbaque similia inter se quasi mathematicorum ritu comparanda præcepit.

Advertendum est præterea, Pythagoricas disputationes Stoicos satis bene calluisse, de Cleanthe quidem nihil nobis in hac parte philosophiæ peculiare referri, scitum tamen probe esse, Chrysippum, præcipuum clarissimumque Cleanthis alumnum, aliquid *de Magnitudinibus et Numeris* scripsisse, Pythagoricæ disciplinæ profecto haud alienum [2]; quam vero discipulus coluerit scientiam a magistro non admodum neglectam fuisse, satis liquet. Atque ideo, cur in universum sermonem numerorum rationes Varro induxerit, ex illa Stoicorum disciplina, cujus auctoritatem ipse sibi vindicat, penitus compertum habere nobis videmur.

V. De natura igitur et origine sermonis humani ad summam docuit Varro, sermonem natura exstare, verba autem singula, tanquam res ceteræ natura exstantes, fortuita esse et contingentia, sed, tanquam res ipsæ, necessariis rationibus certaque proportione conjungi. Neque adeo immerito, nam, tanquam rerum, ita verborum rationes tantum percipere potest disciplina vel optima. Quo altius progreditur scientia, eo abstrusiores et reconditiores rerum ac verborum rationes perscrutamur; ipsam vero vel ma-

(1) B, p. 8; M. et N., V, 11.

(2) A. Lefèvre, *la Philosophie* (Paris, Reinwald. 1879, *Bibl. des Sc. contemporaines*), p. 159.

teriæ vel sermonis essentiam nulli unquam scientiæ penetrare dabitur.

Fingamus nunc, quod a vero non procul deerrat, grammaticum simul et philosophum Varronis operi curam adhibuisse : ambos in unum optime consentire, propositumque ab initio inceptum in singulas partes et ad imam naturam sermonis apprime deductum, inveniemus. Apud grammaticum laudabitur mira Latinæ linguæ, necnon, quanquam minus alta, Græcæ, ceterarumque Italicarum dialectorum scientia, qua comparativam quamdam etymologicen inire potuit, imo patiens et sagax ingenium, quo nonnunquam posterorum felicissima inventa anticipavit; apud philosophum, magna illa sermonis universi comprehensio, qua grammaticum docuit, inclinationes in casus et tempora, quibus verborum rationes exprimuntur, imprimis esse intuendas, ibique majorem partem et quasi medullam orationis latere : quod ad philologiæ præcepta vel recentissimæ proxime attinet. Sed fefellit grammaticus philosophum ubi, in verbis formandis derivandisque, linguam in incerto versari, neque alia, nisi voluntaria, analogia dirigi ratus, quæ in hac quoque parte orationis natura dentur disquirere omisit. Ac rursus, quæ grammatica posita fuerant, philosophus haud parum excessit, ubi ad numerorum rationes et æquam semper proportionem verborum inclinationes reduci posse arbitratus est : quod in quovis tantum artificioso, non in naturali hominum sermone contingere, ipsa sermonis humani natura demonstrat.

Itaque, Varronis operi quemadmodum duæ illuxerint lucernæ, ex opinionibus ejus, ni fallor, perspicue satis cernere licet.

EPILOGUS.

Qua parte claudicent, qua firmæ stent, qua scientiam nostram propius accedant, qua ab eadem longius aberrent Varronianæ de natura et ortu sermonis humani speculationes diligenter equidem, etsi non admodum feliciter, exponere experti sumus. Valeat nunc istud opusculum, summique judicis gratiam sibi conciliet. Valeat eruditissimus ille vir, cujus menti inspiciendæ tot menses incumbere libuit. Quod, si verum est, quod dici solet, errores, haud secus atque inventa, magni ingenii ceteris utiles et preceptorum plenos persæpe videri, forsitan ipsi nostræ menti informandæ haud modice profecit. Nam ex illa commentatione simul intelligi potest, tum quantum valuerit ingenium altum et acutum, quanquam idoneis instrumentis pæne destitutum, tum quantum hodie ingenium vel mediocre, certa rigidaque indagandi ratione instructum, doctissimo etiam viro præstare possit nobilis illius antiquitatis, quam scientia longe vincimus, artibus nunquam superare dabitur.

INDEX CAPITUM.

Explicit. XI Kal. Sept. A D. MDCCCLXXXI.

Vidi et perlegi,

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a. d. VI nonas mai. an. MDCCCLXXXII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur:

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.